Del Colegio de la Compª de Jesus de Granada.
R-10800

ORATIONES XII.

HIERONYMI FALETI.

I. In funere Sigismundi, Poloniæ Regis.
II. Ad Equites Polonos, in coronatione Augusti, Sigismundi filii, Poloniæ Regis.
III. In funere Hippolyti Estensis, Cardinalis, Herculis I. filii.
IIII. In funere Alfonsi, Ferrariensium Ducis IIII.
V. Ad Paulum III. Pontificem max. cum Ferrariam uenit.
VI. Ad Iulium III. cum Pontifex max. creatus est.
VII. Ad Franciscum Venerium, Ducem Venetiarum.
VIII. De ortu Christi.
IX. De dignitate cælibatus.
X. De matrimonii dignitate.
XI. De laudibus dialecticæ.
XII. Cum insignia sui doctoratus acciperet.



VENETIIS, M D LVIII.

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 30
Número 163
2 400 40 Universitaria

Del 6 Agº de la Compª de Jesus de Granada.
R-30800
Bª

ORATIONES XII.

HIERONYMI FALETI.

I. In funere Sigiſmundi, Poloniæ Regis.
II. Ad Equites Polonos, in coronatione Auguſti, Sigiſmundi filii, Poloniæ Regis.
III. In funere Hippolyti Eſtenſis, Cardinalis, Herculis I. filii.
IIII. In funere Alfonſi, Ferrarienſium Ducis IIII.
V. Ad Paulum III. Pontificem max. cum Ferrariam uenit.
VI. Ad Iulium III. cum Pontifex max. creatus eſt.
VII. Ad Franciſcum Venerium, Ducem Venetiarum.
VIII. De ortu Chriſti.
IX. De dignitate cælibatus.
X. De matrimonii dignitate.
XI. De laudibus dialecticæ.
XII. Cum inſignia ſui doctoratus acciperet.

VENETIIS, M D LVIII.

AD SIGISMVNDVM AVGVSTVM,
INCLYTVM REGEM POLONIAE,
magnum Ducem Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ,
Maſouiæ, & Samagitiæ, necnon Bari,
Roſſaniq; Principem.

ARTAXERXES, ille Perſarum Rex, SIGISMVNDE AVGVSTE, Regum maxime, ac potentiſsime, cum aliis excelluit uirtutibus, æterna laude digniſsimis, tum uero humanitatem ita coluit, ut ex eo multorum populorum animos deuinciret, ac ſtudia ſibi maiorem in modum conciliaret. quo in genere multa narrantur, ſed illud præcipuè, quòd, cum ei per uiam equitanti homo ruſticus, & operarius aquam, è proximo flumine utraque manu ſumptam, ſitienti obtuliſſet, iucundo uultu accepit; non rei, qua donabatur, humilitate offenſus, ſed potius optima eius, qui largiebatur, uoluntate oblectatus. quo quidem nihil præſtantius, nihil magno Rege dignius eſſe potuit. ſiquidem non minus regium, ac magnificum eſt, exigua libenter, promptéq; ſuſcipere, quàm magna liberaliter elargiri. Atque ego, te huiuſmodi animo eſſe, cum nunquam dubitarim, Rex potentiſsime; munuſculum tuæ Maieſtati offerre ſum auſus, etſi tanto Principe minime dignum, eorum tamen, quæ noſtri tenuitas ingenii præſtare poteſt, maximum, atque ampliſsimum. in quo etiam illa me ratio mouit, quòd ad te id, quod mittimus, maiori ex parte attinet; cum pro tua, tuorumq; dignitate harum non nullæ orationes habitæ ſint. tuos enim appello Eſtenſes Principes, pro ea ſanguinis coniunctione, ac beneuolentia, quæ inter te, parentesq; tuos, Eſtenſiumq; Principum nobiliſsimam gentem, ſine ulla unquam diminutione ſemper interceſsit; atque etiam, ut tibi, quem de meis commodis, ac ornamentis, pro innata tua benignitate, cogitare certum, exploratumq; habeo, mei in te grati animi perſpicuum afferrem argumentum. Neque uero me fallit,

id quidem, pro meo ſingulari erga te ſtudio, exiguum eſſe: uerum qui magna præſtare nequeunt, haud ſimul eos decet à paruis etiam abſtinere; &, qui maioribus in rebus uſui eſſe non poſſunt, ob id leuioribus in muneribus, apud eos, quos præcipue obſeruant, collocandis, diligentiam imminuere, preſertim cum in omni genere officii pluris animi uoluntas, quàm muneris magnitudo, facienda ſit. Accipies igitur hoc munuſculum ſerena fronte, Rex potentiſsime, eiuſq; patrocinium ſuſcipe. hac enim ratione & noſtram, quæcunque eſt, in ſcribendo induſtriam excitabis: & humanitatem tuam, mihi antea perſpectam, & à me in omnibus meis & ſermonibus, & ſcriptis declaratam, illuſtrius etiam, quàm antea, patefacies.

Venetiis, menſe Nouembri, M. D. LVIII

Tuæ Maieſtati deditiſsimus
Hieronymus Faletus.

HIERONYMI FALETI
ORATIO IN FVNERE
SIGISMVNDI IAGELLONIS,
POLONIAE REGIS,
PRO HERCVLE FERRARIENSIVM DVCE IIII.

NESCIO, SIGISMVNDE AVGVSTE, Rex potentiſsime, & uos Patres ampliſsimi, ac Equites ornatiſsimi, utrum inuitus me ad hoc ampliſsimum dicendi munus Hercules Ferrarienſium Princeps, an lubens potius legauerit, ueritus fortaſſe, ne ego tuum dolorem, tuumq; luctum, & grauiſsimum uulnus, quod tibi ac uniuerſo huic regno Sigiſmundi patris tui acerbiſsima mors inflixit, lacrymis luctuq; meo potius augeam, quàm mæſtum atque afflictum animum, illius & corporis, & animi uirtutibus celebrandis, recreem, atque confirmem. Sed, cum audiſſet te in eius locum, & iure æquiſsimo, & omnium populorum conſenſu, Regem ſucceſſiſſe; ac pro ea neceſsitudine, qua cum illuſtriſsima familia tua coniunctus eſt, eaq; beneuolentia, qua te præcipue proſequitur, conuenire intelligeret, ut tibi uehementer gratularetur: indignum profecto exiſtimaſſet, ſi tantus Rex, qui ſemper laudi ſtuduerat, nullum ab eo, cui dignitas illius cariſsima eſſe debuit, ſuæ uirtutis præmium aſſequeretur. Et ſane, tempori ſeruiiſſe, ne dicam ingratus fuiſſe, uideri poſſet, ſi, quibus ſtudiis, & qua fide parentem tuum, quoad uixit, obſeruauit, atque ante omnes colendum duxit, eadem nunc mortuo denegaſſet. nam, ſi quis uiuentibus laudes nullas tribuit, aliæ tamen rationes non deſunt, unde amor & ſtudium patefit: mortuis autem id unũ præſtare poteſt, ſi eorum egregia, & præclara facta ueriſsimis laudibus extulit, atque illuſtrauit. Quod eo magis hoc etiam nomine mihi faciendum putaui, arbitratus, ſi modo quis ſenſus eſt inferis, ut credimus, hanc iucundã nobis uirtutis eius commemorationem, non mediocrem illi uoluptatem

uoluptatem allaturam. etenim magnificus iſtè funebris apparatus, Ducum, Comitum, Equitumq; tantus concurſus, ſigna militaria, equi, arma, ſcuta, lugubres ueſtes, regia, eaq; pretioſiſsima, feretri ornamenta, & horum ſimilia, quæ fieri nunc tanto ſtudio uidemus, bellicæ laudis, uictoriæq; inſignia, ac maximorum opum ſunt monimenta. Quæ omnia non adſtantibus minus, quàm mortuo ipſi, ornamento eſſe dici poſſunt. Oratio uero, quæ illius res geſtas ornatiſsime complectatur, (ſi modo ulla unquam tantis meritis par oratio poterit inueniri) ſemper Sigiſmundi Regis uirtutem apud poſteros extollet, atque admirabilem reddet. Verum quod multi ſummi oratores in hac cauſa forte conqueri poſſent, id mihi iucundiſsimum accidiſſe, re ipſa comperi; tantam ſcilicet eſſe huius Regis laudem & gloriam, ut omnis uerborum copia illius uirtute inferior eſſe uideatur. hac enim potiſsimum de cauſa uehementer gaudeo, quòd quanto plura de illius uirtutibus dixero, tanto ſemper maiora & ampliora ad dicendum mihi relinquentur. Atque hæc uniuerſa quanquam uobis omnibus Equites notiſsima eſſe non ignoro: tamen, ut ueterem in clariſsimorum Imperatorum ac Regum funere conſuetudinem ſeruem, & ut earum rerum, quas in hoc Principe præclariſsima uidimus, gratiſsima recordatio fiat, breuiter aliquid, ne longior hæc mea parum diligenter exculta dictio uobis tædium pariat, in hoc ampliſsimo conſeſſu memorandum exiſtimaui. Tria ſunt, Rex inuictiſsime, quæ in ſumma perfectaq; laude ſpectari ſolent; Res externæ, corporis, & animi. Quæ omnia in Sigiſmundo, patre tuo, adeo magna & ampla fuerunt, ut præripere potius dicendi facultatem, quàm præſtare, mihi uideantur. Primum enim in ea regione natus eſt, quæ non tantum ſoli natura, ſed etiam rerum geſtarum gloria, quas ille poſtea ſeu pace, ſeu bello geſsit, ceteris omnibus antecellit. Quibus uero maioribus, quo ue genere ſit ortus, quanquam omnes optime norunt, conuenire tamen ſum arbitratus, non omnino uetuſtiſſimam egregiamq; illorum ſtirpem ſilentio præterire: ut omnes intelligant,

telligant, cum maiores eius clariſsima uirtutis exempla reliquerint, ipſum nulla ex parte ſe illis inferiorem præſtitiſſe. Verum ne admodum uetuſta quæramus, ea, quæ in omnium ore uerſantur, dicere aggrediar. Vladislaus Iagello, huius Regis auus, tuus autem Sigiſmunde proauus, qui ex potentiſsimis Lithuanorum regulis in Polonia regnauit primus, ea morum integritate, ea fortitudine, eo demum conſilio fuit, ut in maximis Sarmatiæ fluctibus atque procellis, omnium conſenſu creatus fuerit Polonorum Rex, quippe qui ſolus turbulentiſsimos regni motus ſua prudentia ſedare, atque comprimere poſſet. Is autem cum regimen cepiſſet, atque Bohemos, a religione huius imperii, & maiorum inſtitutis abhorrentes, ad uerum Dei cultum, & conſentaneas perfectæ fidei opiniones traducere conaretur; & æmuli atque inuidi quidam per regnum ſermones diſiparent, eum ſiti quadam, atque cupiditate regnandi potius, quàm ueræ religionis ſtudio, in hac re elaboraſſe, ea modeſtia ac animi altitudine fuit, ut uocata concione regnum ab eis oblatum repudiarit: ubi tantus omnium Bohemorum clamor, tantusq; fremitus exortus eſt, tantaq; omnium uel ad uerſariorum etiam eius conſenſio, ut non ſolum huic fortiſsimo ac ſapientiſsimo Regi Bohemiam committendam cenſerent, uerum etiam digniſsimum poteſtate & dominatu omnium rerum una uoce prædicarent. fuit enim non ſolum Rex fortitudinis, uerum etiam patientiæ laude admodum inſignis, Themiſtoclem imitatus, qui cum eſſet in conſilio Græcorum à reliquis ducibus conuiciis indigniſsime uexatus, petulantiam illam non pari conuicio, ſed patientia comprimendam putauit. Quid hic Periclem referam? quid Iulium Cæſarem, & alios complures, qui non alio maiore ſtudio maieſtatis Imperatoriæ nomen, quàm patientiæ & manſuetudinis laudem uenabantur? Quorum exemplo, ducem ſecutus naturam ſuam, ad omnem Rege dignam laudem Vladislaus incumbens, præſtantiq; animo contendens, hoſtibus formidabilem ſe præbuit, Polonorumq; nomen, clarum antea ſuo ſplendore, clariſsimum reddidit. Eam uero in primis excellentis uirtutis opinionem maxime adeptus eſt, cum apud Dobrinum Germanorum uis ingens affluxiſſet, quæ totam Pruſsiam, maxima cum Polonorum

rum clade, crebris incursionibus infestam redderet. tanta enim celeritate Princeps magni animi, atque rerum bellicarum disciplina peritissimus, militem ad pugnam instruxit, ut uno impetu hostes oppressi, exterriti, cæsi, capti, & profligati sint, ad quinquaginta paulo minus hominum millia. Ex qua uictoria ingentem auri, argentiq; uim, & cuiusque generis prædam in Poloniam aduexit. Nec dissimili clade, multisq; uictoriis Crucigeros, Lithuaniam, Poloniamq; populantes, una cum Silesiis, atque Russiis oppr esit. Huic exacta admodum ætate, cum annos regnasset quinquaginta duos, uita functo, Vladislaus filius, maior natu, successit. Qui cum Rex ab Hungaris absens expetitus esset, belloq; Turcico modo Scythas in Russiam irruentes, modo Valachos in Poloniam, Amuratemq; ipsum ex Hungaria eieciſſet, tandem apud Varnam, cum eodem Amurate, imparibus copiis, pugna commissa, magna hostium edita strage, interiit. Cuius Regis tanta uirtus fuit, tantum robur, ut, quàm diu uixerit, duo maxima Polonorum, atque Hungarorum regna summa ac incredibili laude conseruarit. Post Vladislaum, imperium ad Casimirum eius fratrem delatum est, principem sane omni uirtutum genere clarissimum: qui cum in uaria bellorum administratione & plurimum, & strenue uersatus maiorem in modum excelleret, Prussiam, & Pomeraniam, amplissimas regiones, ad imperii sui ditionem adiunxit, Valachorum bellicosissimo regulo spem eius clientelæ olim acceptæ aduersus Turcas non ademit. omnes enim fuerunt in illo rege uirtutes, sed præcipue singularis & admiranda frugalitas, (etsi hoc uerbo scio laudari reges non solere) ut cum Fabricio, & Curio, ceterisq; illis Romanæ, id est summæ modestiæ uiris, quos historiæ celebrant, iure sit conferendus. ex quo facillimum ei fuit, iis semper uirtutibus, atque artibus imperium conseruare, quibus eum antea dignum imperio cuncti iudicauerant. Cuius, ut multa eius facta præteream, tanta eo tempore fuit prouidentia, atque constantia, ut cum urbs Cracouiensis graui pestilentia laboraret, ciuesq; omnes passim in diuersa loca diffugissent, & Mariæburgus, præstantissimus Cruciferorum magister, facultatem nactus, traiecta apud Toruniam Vistula, magno exercitu in maiorem Poloniam adducto, exusta Silupcia,

agros omnes cis & trans Vartam ferro & igni uastasset, ipse in tanta rerum omnium penuria, tanta urbis solicitudine, tanto tumultu ac metu obsessis opem tulerit, hostes plane profligarit, multaq; oppida cum Cuiauiæ, tum Calisienſis oræ obsidione, ac totius regni naufragio liberarit. His uero periculis solutus, ut facilius ab hostium excursionibus imperium defendere, idemq; augere posset, ad comparandas finitimorum amicitias, coniungendamq; cum principibus uiris affinitatem animum conuertit. Ea de causa Elisabetham, pudicissimam, & ornatissimam mulierem, uxorem duxit, filiam Alberti, Romanorum, Hungarorum, & Bohemorum Regis, è totius Germaniæ familia præclarissima, quæ supra trecentos annos cum magna rerum gestarum gloria in Boiaria inferiori, seu orientali, quam nunc Austriam appellamus, imperauit. ex qua (ut filias prætermittam) sex clarissimos præstantissimosq; filios suscepit: quos ea disciplina ad maiorum instituta erudiuit, nihil ut aliud spectaret, nisi ut legibus pudoris, uerecundiæ, modestiæ, atque ipsius religionis animos eorum informaret, ea uidelicet spe ductus, & in ea sententia confirmatus, tales filios in regendo imperio futuros, qualis illorum educatio præcessisset. Quæ omnia effecere, ut Bohemi Vladislaum, filium eius natu maximum, summo studio Regem sibi exposcerent, atque ascisserent, Hungari Casimirum, ac Iohannem Albertum, Lithuani Alexandrum, Sigismundum Silesii, Federicum Romana Ecclesia ad dignitatem Cardinalatus expeteret. Ex hoc igitur Casimiro patre, & Elisabetha matre natus est Sigismundus: ex his, inquam, præstantissimis Regibus, fortissimis Imperatoribus, clarissimisq; maioribus, suam excellentissimam ducit originem. Huius autem Regis cum in mores, ac uitam, resq; gestas paulo attentius intueor, in dubium uocor, huic ne plus ornamenti, atque splendoris eius maiores, an ipse suis maioribus attulerit. Quod si eius ortus ab illa præclarissima indole, maximis animis innata, excitetur, & temporis etiam uetustate confirmetur, superabit

ane illum antiqui generis ſplendorem & claritatem, qua Achillem Thetide, Aurora Memnonem, Theſeum Neptuno, Romulum Marte, Ioue Sarpedona procreatos ferunt. Quod etiam de Alexandro Magno, & de Scipione Africano, ac de uniuerſis illius ætatis heroibus traditum eſt; qui non niſi diuino conſilio orti, atque ſemine diuino ſuſcepti exiſtimati ſunt. Cum enim per ætatem licuit, ſtudiis literarum deditus, tantum in his ingenio, induſtriaq; profecit, ut omnium linguarum cognitionem celerrime adeptus ſit. uerum, parto regno, cum Polonia undequaque maximis bellis, quæ pater ac fratres geſſerant, exinanita eſſet, maiora quædam animo menteq; concepit. Nam cum tota Scythia in Ruſſiam influeret; Aſiaq; ad huius regni imperium, Turcarum auxilio freta, animum intenderet, ac ſimul omnis Iagellonum familia, quæ ob uirtutem opesq; ſemper illi ſuſpecta eſſet, formidinem iniiceret; Sigiſmũdus in medio relictus, ac magnis undique periculis circunuentus, patriæ ſperatum animi, ingenii, conſiliiq; ſui lumen oſtendit. nam finitimos alios reconcilians fœdere, alios ſocietate ſibi coniũgens, alios liberalitate alliciens, amicos ſibi, fidosq; parauit. cum Turcarum tyranno etiam pactiones omni iureiurando initæ ſunt. Quæ omnia tanto conſilio prouidebat, tantaq; peragebat fortitudine, ut omnium opinionem egregia cum laude ſuperaret. Nam in prouidendo calliditas, in aggrediendo fortitudo, in periculis conſilium, in agendo induſtria, in perficiendo celeritas, in laboribus patientia, ac cæteræ omnes militares, imperatoriæq; uirtutes tantæ in hoc uno erant, ut maiores in ullo (ſi replices ueterum annalium memoriam) uix, aut ne uix quidem inuenias. Inediæ, frigoris, atque caloris moleſtiarum cum tolerantiſsimus, tum patientiſsimus fuit, adeo ut hunc ad hæc omnia perferenda natura factum, atque educatum eſſe omnes homines crederent. Itaque cum formæ dignitatem, corporis proceritatem, ac fortitudinem Natura attuliſſet, hæc omnia præclariſsimis his ſtudiis, & artibus, continentiaq; uitæ ita auxerat, ut in ſpecioſiſsimo

ſpecioſiſsimo corpore fingendo atque formando natura pariter & ars ipſa inter ſe contendiſſe uiderentur. nam ſi caput, ora, latera, humeros, manus, brachia, ſi pedes, crura, & omnia eius decora robuſtaq; membra ſæpe diligentius inſpicerem, uidebar mihi profecto Herculem quendam aſtantem aſpicere. Erant igitur in Sigiſmundo pulchritudo, robur, & continentia: quæ quidem omnia uel in Principe neceſſaria ſunt, uel certe maxime probantur. Ac pulchritudinem quidem omnes uidebant: fortitudinis autem, ac pugnæ multa præclare commiſſa prœlia ſunt teſtes: continentiæ uero multorum patent teſtimonia, qui cum eo familiariſsime, coniunctiſsimeq; uixerunt. Cum uero in imperio conſtitutus, tum ad recuperandum Smolenchum oppidum in finibus Moſcouitarum, quod, propter crebras eius gentis incurſiones, Polonorum præſidiis olim tenebatur, animum applicuit. et cum Baſilius Moſcouitarum Princeps id oppidum, ſicuti pleraque alia Ruſsiæ & Lithuaniæ loca, ueteri quodam iure pertinere ad ſuum imperium ratus, per aliquot mẽſes tanta pertinacia obſideret, ut in ſuam poteſtatem redigeret; hincq; populari proximos Lithuanorum fines cœpiſſet: Sigiſmundus, è Cracouia Vilnam profectus (ut ex propinquo intentus in omnes rerum caſus, bellum adminiſtraret) tanta celeritate exercitum comparauit, ut uix ante citra amnem Boryſthenem, miſsis exploratoribus, qui altitudinem fluminis exquirerent, quo facilius equitatum traduceret, ſubitariumq; pontem ex lintribus, & lembis contractis efficeret, inclinatis haſtis in hoſtes impetum fecerit. Qui dum ſolutam aciem peditum, impediti equitum multitudine, cum magna eorum cæde, cruoreq;, & morientium gemitu cuncta compleri uiderent, ſibi celerrima fuga conſuluerunt. Poloni uictores, captis hoſtium caſtris, magna præda ex regio apparatu potiti, atque amplius ſeptem hominum millibus interfectis, quinque millia equorum, multosq; illuſtres duces, & cum his Michaelem Goliizam, inter Moſcauitas

fortiſsimum, & bellicoſiſsimum, ceperunt. itaque genus illud immanitate barbara, durum, ac efferum, & ante id tempus indomitum, Sigiſmundus ſuo Marte, ſuaq; uictoria compreſsit. Qua in re ſi hominum ferocitatem, ſi diſsimilem pugnandi rationem, ſi loca inculta & aſpera conſiderabimus, ſi denique hoſtium multitudinem cum Polonorum paucitate, quos Sigiſmundus in Boryſtenem traiecerat, conferemus, inueniemus profecto ex multis uictoriis, quas olim Iagello Vladislaus, Caſsimirus, & Ioannes Albertus, aduerſus Germanos, Turcas, Prutenos, Hungaros, & Valachos conſecuti ſunt, haud earum ulla hanc unam eſſe inferiorem. Ad ea uſque tempora cum Ruthenorum plebs, rerum nouarum cupida, & ſimul ſpe recuperandæ libertatis à Polonis deficeret, tum Sigiſmundus, abiecta omni cunctatione, infracto fortiq; animo ſeſe ipſum colligens, & quaſi lætatus, quòd ſibi fortuna uberem uirtutis ac fortitudinis ſuæ declarandæ materiam præſtitiſſet, omnia, quæ ad propulſandos hoſtes, urbesq; tutandas neceſſaria iudicabat, urbes muniri præſidiis, ſubſidia commeatumq; importari, exercitum ſcribi, diligentiſsime ac uigilantiſsime curauit. Hic quid de Sigiſmundi fortitudine dicam? aut quid potius non dicam? duobus maximis exercitibus Lithuania, Pruſsiaq; obſeſſus, uix retento imperio, nulla externi auxilii ſpe, ſola magnitudine animi, incredibiliq; conſilio, ac rei militaris ſcientia, non ſolum hoſtes multis ſæpe cladibus afflixit, ſed etiam eouſque deſperationis adduxit, ut ſæpius de fuga, deq; deditione cogitauerint. iis enim artibus, quas à puero ſibi ingenio induſtriaq; parauerat, omnibus facile oſtendebat, unam eſſe uirtutem, quæ neque capi inſidiis, neque frangi, aut expugnari uiribus poſſet, unam, quæ omnium conatus illuderet, contemnere. itaque huius amore ductus, noctes atque dies operam dabat, ut modo hoſtes pugna laceſſeret, modo fugam diſſimularet, non nunquam ex improuiſo ſe hoſtibus oſtenderet, adeo ut nullam ipſis pugnandi ſpem, aut ocii facultatem relinqueret. Liberatus autem

autem, ſolutusq; omni periculo, non humili, deiectoq; animo, ut multi in aduerſa fortuna, ſibi torpeſcendum putauit, ſed quamprimum ad Viſnouenum, quod ab hoſte premebatur, animum adiecit: ut, quod à maioribus relictum acceperat, incredibili animi fortitudine tueretur. Igitur cum iam aduerſus Moſcos, Scythasq; multa egregia memorandaq; facinora edidiſſet, certior factus illud quibuſdam incurſionibus agitari, ratus (quod in tali caſu ſolet euenire) urbe potiri ſe poſſe, ſex millibus equitum duntaxat, quos fide & liberalitate ſibi adiunxerat, Viſnouenum uerſus progreſſus eſt, cum ſtatueret uel rebus feliciſsime geſtis imperare, urbemq; ipſam in libertatem reſtituere, uel in bello fortiſsime pugnando pro ciuium ſuorum ſalute occumbere. Cum enim Sigiſmundus ita ſibi multo ante perſuaſiſſet, nihil eſſe turpius infamia, uirisq; fortibus dedecus eſſe perinde, ac ipſam mortem, uel magis etiam fugiendum; ut hanc animi ſui magnitudinem, mortisq; contemptum omnibus palam faceret, in caſside, in ſagulo, in militaribus ſignis mortis ſimulacrum, tanquam pulchrum quoddam inſigne, geſtabat: ut etiam declararet, uirtutem ne ipſa quidem morte extingui perimiq; poſſe. Alii caſtella depicta geſtabant, quot, acriter oppugnando, etſi cum multis, præcipua tamen fortitudine ceperant: alii circulos, aut quiduis aliud pro numero hoſtium, quos in prœlio aliquo duriſsimo interfecerant: alii, ut fortaſſe oſtenderent ſe lucem rebus patriæ afflictis attuliſſe, ſtellis ſcuta diſtinxerant: alii denique alia aſſumpſerant, quibus uirtutis ſuam memoriam proderent. Quantum autem apud omnes nationes admirationis, atque dignitatis habeat, Patres, mortis contemptio, illud uel maximum eſt argumentum, quòd nulla uirtus æque doctorum hominum monimentis celebratur, nulla ſimili laudis genere effertur. Nam apud Macedones erat olim lege ſancitum, ut qui nullum hoſtem in acie interemiſſet, is capiſtro uinctus ac ſuſpenſus ignominioſa morte uitam finiret. Apud Scythas etiam nemini licebat in ſacris epulis

epulis circumlatum poculum accipere, niſi qui in re militari prius aliquod uirtutis ſignum oſtendiſſet. Neque Amazonibus erat conceſſum ullo pacto nubere, niſi quæ hoſtem pugnando iam interfeciſſet. Romani etiam, unde ad omnes mortales egregia fortitudinis exempla manarunt, equeſtribus imaginibus, coronis muralibus, caſtrenſibus, ciuicis ſuos milites, ſuoſq; Imperatores donabant. Quid duo illi Decii, pater, & filius, non ſe pro ſalute patriæ in armatas hoſtium cateruas, contempta uita, libentiſsime deuouerunt? Age, quid de L. Marcio dicam, qui rempublicam Romanam, in Hiſpania duorum Scipionum interitu collapſam, propria uirtute reſtituit? Mitto M. Marcellum, qui primus Annibalis impetum armis atque acie repreſsit: fortiſsimum illum Marium, ſexcentos alios, quibus gloria militaris multo ipſa uita potior fuit: nec iniuria: cum illa uigeat in omnes annos, æternaq; laude floreat, huic exiguos terminos natura circumſcripſerit. Hac igitur ſententia cum uerſus Veronouiam, & Buſcum, & Zigouiam arces, magnis opibus, præſidiisq; munitas, cum duodecim duntaxat militum millibus profecturus eſſet, æque ac ſi potentiſsimum haberet exercitum, aut animo futura prouideret, uno die hoſtem adortus, altero urbes longa obſidione debilitatas, ſibi rerum omnium incredibili quadam felicitate uendicauit. Cum autem ante Oſſacouiam exercitum contra ingentem Valachorum multitudinem duxiſſet; &, parta uictoria, cum plures aduerſarii imperium eius uirtutemq; timerent; ea omnes humanitate clementiaq; ſuſcepit, ut ex inimicis amiciſsimos efficeret, ipſe iis æque ac pater, æque ac de omnibus egregie meritus, in oculis eſſet. Quid enim hic commemorem uictorias, quas apud Iluſcum, Cameneciam, Trebouuliam, Medibozum, Caniouiam, Bialogrodum, apud Goſdeciam, Prumarcum, Zeburgum, Guteſtadium, Brunsbergam, apud Reſſam Raſtemburgum, apud Piſſam, apud Bartenſteniam & Heilisbergam adeptus eſt? contra Moſcos, Tartaros, Valachos, Germanos, ac ipſos Turcas, omnium

omnium gentium ferociſsimos, fortunatiſsimosq;. Hac fortitudine, Patres, in re bellica nunquam uſus eſt Cyrus, nunquam Alexander, nunquam Pyrrhus, nunquam Iulius ille Cæſar, qui omnibus omnium ſæculorum ac gentium Imperatoribus rerum geſtarum gloria antecelluit. Et quoniam inter cætera magni ac præſtantis animi argumenta enumerantur ædificia, prætermittendum non cenſeo quantum in eis conſtruendis auri argentiq; conſumpſerit. Quid enim memorem huius unius arcis opus, quod in hac ueſtra inclyta urbe à fundamentis extruxit, itaq; erexit, ut non hominum, ſed Deorum immortalium ſedes eſſe uideantur? Quid uero Baſilicam huic templo adiunctam? Quid Vilnenſe, & Rupenſe fanum? quæ quidem opera cum effecit, non ille ſuum uſum, non priuatum aliquod commodum, ſed publi cum decorem, publicamq; dignitatem ac ſpeciem cogitauit; eaq; pictorum, ſculptorumq; præſtantiſsimorum manu adeo curauit exornanda, ut ſeptem illis, quæ in uniuerſo terrarum orbe memorãtur, mirabilibus addi poſsint. Ita omnes cogitationes, & actiones ſuas ad ueram gloriam, & Dei cultum retulit. quo factum eſt, ut omnes, non ut quoddam terreſtre oraculum humanæ ſapientiæ intuerentur, ſed uelu ti diuinum hominem è cœlo ad propulſandas tyrannorum iniurias, ad propagandam uirtutem ad nos delapſum exiſtimarent. Equidem, quibus artibus ſibi Sigiſmundus parauit imperium, partumq; retinuit, uosmet equites conſiderate. omnia mehercule uerba ad ipſius uirtutes exponendas leuiora mihi, frigidioraq; uidentur. adeo enim omnibus bonis hunc ornauerat muniueratq; Natura, ut in eo memoriæ firmitas ineſſet, qualem in Mithridate; recta de unaquaque re exiſtimatio, qualem in Themiſtocle; ingenii uis, qualem in Cæſare; ſolertia uero, atque prudentia, qualem in Fabio fuiſſe legimus. Iuſtitiam uero, quam omnium uirtutum ducem, ac reginam iure ſemper duxit, adeo diligenter coluit, ut etiam hoſtes ipſi inter ſe factionibus odiisq; priuatis diſsidentes, alium ducem ſibi præeſſe nollent.

Quàm

Quàm uero in omnes beneuolus, quàm munificus, quàm liberalis fuerit, unuſquiſque ueſtrum, Equites, certiſsimus teſtis eſt: quandoquidem præclarum mihi iam dediſtis iudiciorum ueſtrorum teſtimonium, non ſolum amicis de ſe bene meritis aurum & argentum, ſed ueſtimenta quo que in neceſsitate munificentiſsime obtuliſſe. exiſtimabat uidelicet nulla alia Rex magni animi officia præſtantiora, quàm ea, quæ ex clementia, & liberalitate conferebat: contra, nihil Principe indignius, nihil odioſius, nihil à diuinis decretis alienius auaritia, & inhumanitate: qui quidem etiam illud præ oculis & in ore ſemper haberet, quod à ſummo omnium Doctore nobis traditum eſt: quod quidem in extremo etiam iudicio ad memoriam reuocabitur, ubi unicuique pro meritis præmia eſt redditurus. Hoſpitem, inquiet, me non recepiſtis, nudum non operuiſtis, ægrotum non uiſitaſtis. Quæ quidem nonin eam ſententiam accipienda eſſe duxi, ut credatis uelle me aditum ad gloriam eſſe reliquis uirtutibus intercluſum, aut reliqua facinora non ſine digno ſupplicio punienda, ſed ut, de multis uirtutibus nullam eſſe aliam, quæ propius ad Dei bonitatem, quàm humanitas & liberalitas, accedat, apertius indicarē. Bonos uero non ſolum laudibus, ſed etiam dignitate cohoneſtabat, improbos acerrime inſectabatur, ſeuerus & grauis in aſpectu, in ſermone atque congreſſu facilis & humanus. Præterea, quæ ex liberalitate illius promiſſa, & oſtentata erant, ſanctiſsime obſeruabat, diligentiſsimeq; præſtabat. Amicos uero amore conſtantiſsimo, planeq; intimis animi ſenſibus diligebat, omniq; omnes officio fouebat. Quin & hoſtes etiam atrociſsimos humanitate & clementia liberaliter tractabat. Sed, ut uno complectar uerbo, nihil eorum prorſus in hoc defuit, quæ ſummo Regi, ſummoq; Imperatori conuenire poſsint. nam, ueterum monumentis accurate obſeruatis, tum, præſtantium uirorum, qui proximis temporibus aliqua laude floruere, exempla imitatus, ea ſibi delegerat, quæ præſtantiſsima iudicabat.

iudicabat. nam in adminiſtranda republica non, uti plerique ſolent, auctoritatem ac poteſtatem illam regiam exercuit, ſed nec à ueſtro ſenatorio ordine quicquam de recta religione deflexit. In popularibus ſtudiis multitudini gratus, in bellicis conſilis atque deliberationibus ſummus Imperator, & in regno gubernando iis omnibus præ cæteris Regibus Rex præſtantiſsimus. Literarum uero ad omnes humanarum rerum diſciplinas adeo ſtudioſus fuit, ut nullum ferè diem prætermitteret, Cæſarem imitatus, quin aliquid legeret, & audiret, arbitratus Principis magni intereſſe ad gubernationem cuiusque regni maiorum ſapientiſsime res geſtas intelligere. hinc plurimarum rerum obſcuras & neceſſarias intelligentias, tanquam fundamenta imperii, enucleauit. Hoc igitur, ſi pro ueritate aperte loqui datum eſt, nemo unquam imperium maiore pietate, fide, conſtantia, dignitate, iuſtitia adminiſtrauit. Idq; uerum eſſe, nemo ibit inficias, ſi quis cæteros omnes ſummos ac præclariſsimos Reges Sigiſmundo æquiparare uoluerit: neque fuit omnino quiſquam qui ea formæ præſtantia, eo robore, ea animi magnitudine atque conſilio fuerit, ut non ſolū Sarmatarum, ſed totius orbis terrarum imperio, omnium, qui ſaperent, iudicio dignus ſit exiſtimatus: qui & partum imperium tanta fortitudine, iuſtitia, & omnium beneuolentia gubernauit, ut non ſolū Polonis, cæterisq; Sarmatiæ populis, cum ultimum diem ſuum obiit, immortalem domeſticæ uirtutis memoriam, ſed etiam famam exteris nationibus, & gentibus æternā, & incredibilem imitandi cupiditatem reliquerit: qui moriens te Sigiſmunde eius filiū inclytum, ueriſsimam non tam corporis, quàm animi ſui effigiem, magnanimum & nouū Regem uidit ſibi in imperio ſuccedentem, magno totius regni ſtudio cōprobatum. quod nemini unquam, qui in ampliſsimo loco uita functus ſit, ſcimus ante contigiſſe. Quo fit, præſtātiſsimi Equites, ut in hoc mærore ueſtro, quem uos omnes ob Sigiſmūdi mortē capere uideo, Hercules Princeps æquiorē ſe præbuerit, qui cogitaret eum nunc uos Regē ac Ducem nactos, quē grauitate, cōſilio

prudentia, animi magnitudinè, iuſtitia, fide, & ceteris bonis artibus, & ſtudiis parenti parem eſſe ſcimus. Debetisq; idcirco lætari, ueſtram inclytam Iagellonum familiam in priuatis rebus & publicis talia exempla, tale uobis decus, famam amicis, ornamentum regno reliquiſſe, ut inde ſumma ad uos gloria, ſumma redundare utilitas nunquam non poſſe uideatur. eoq; leuius mortem eius ferre debetis, quòd illum non modo nihil mali accepiſſe in morte putandum eſt, ſed cum iuſtus, grauis, fortis, & conſtans fuerit in uita, in morte uero ſumma pietate, fide, ac maximo chriſtianæ religionis cultu deceſſerit, potius ex his ergaſtulis & tenebris ad ſuperos euolaſſe, ubi æterna illa luce, in qua omnia inſunt bona, cum immortali animorum cœtu perfruatur. Addo etiã illud, eo nomine non parũ ei gratulandum, quòd eo tempore à uobis diſceſſerit, & in æternam illam domum migrauerit, quo quidẽ fortuna magis extimeſcenda, quàm dignitatis, aut laudis acceſsio ſperanda. eò enim magnitudinis & gloriæ iam proceſſerat, nihil ut omnino eſſet in hoc regno expetendum, quod ipſe ſua uirtute non eſſet ampliſſime conſecutus. Præterea quod diuturnitas, atque obliuio temporis (iam enim ad te meum ſermonem conuerto Bona Sereniſsima) poteſt efficere, ut omnem iſtum dolorem tuum auferat, id tua ſapientia præſtare debes, lætariq; potius ea immortali gloria & fama, quã ſummus Rex maritus tuus apud omnes homines reliquit, quàm dolere, quòd & te omni uirtute inſignem, & regnũ pulcherrimũ reliquerit. quantũ enim ad hanc humanã uitam attinet, eiusq; miſerabilem conditionem, uix intelligere poſſumus quem fructum ferat ipſa nobis. Ita legibus tenemur uniuerſi, ut nemini detur libertas recuſandi mala quamplurima, quibus hæc mortalis conditio affecta eſt. omnes uitæ principium à lacrymis & acerbitate facimus: omnes infinitis miſeriis quaſi laquei implicati, in metu atque dolore uerſamur, eaq; ratione apud Thraces multi infantes in lucem editos non ſine mærore & maximis lamentis excipiunt, contra uero funera omni tripudiorum genere, & cantu proſequuntur, arbitrantes omnibus his malis

malis, quæ nobis fert longæua ſenectus, non niſi poſtrema uita hora liberari: neque minus, omnem illam animorum noſtrorum cupiditatem expleri poſſe: adeo ut Crœſo diuitiæ, omneq; uoluptatis genus Sardanapalo ſatisfecerint, omnes res memorabiles in rebus bellicis effectæ, atque illa inexplebilis gloriæ ſitis, qua flagrabat Alexander Magnus, extincta ſit. Quinimmo reliquarum rerum omnium eundem eſſe finem, neque ſolum homines ipſos, uerum etiam humanas artes, atque diſciplinas, omnes nationes & imperia concidere, & obliuionis tenebris obrui neceſſe eſt. Athenienſis gens illa, quæ innumerabiles Perſarum exercitus fuderat, quæ tantas res geſſerat, quæ Græciæ imperio potita fuerat, armis Macedonum, quorum nomen ſane obſcurum ea tempeſtate extiterat, oppreſſa eſt, omnesq; imperii illius opes facile breui temporis momento corruerunt. Sparta autem, quam tam multos annos nõ mediocri imperio floruiſſe cõſtat, poſtremo Romani, orbis rerum triumphatores, ac domini, deleti ſunt. Tantum uero abeſt, ut ab his fortunæ telis tuta ſit Regia maieſtas, ut multo grauior ſit eius conditio, & exitus acerbior: ſiquidem ut fumus ſemper ſumma petit, ſic morbi, cædes, inſidiæ, & reliqua uitæ mala eos potiſsimum circumueniunt, qui ſunt in altiſsimo gradu collocati; quales fuerunt Metellus Macedonicus, L. Sylla, Octauius Cæſar, & pauci admodum præterea, quorum uarii caſus, & ea mala, quibus agitati ſæpiſsime ſunt, facillime humanæ miſeriæ magnitudinem perſpicue nobis oſtendunt. Ideo ſi recte cenſent Stoici animum, infirmitate corporis occupatum, in miſeria eſſe; fateantur iidem neceſſe eſt, neminem, quamuis ſapientia præditum, in tantis corporis doloribus beatum eſſe. Cum autem animo & corpore conſtemus; qui poſſumus, quàm diu in hac uita uerſamur, ſummum bonum id exiſtimare, preſertim cum, ita cogente natura, ipſa mala corporis animum etiam ipſum ſæpiſsime offendant? Quid hic Priami infelicitatem, quid Cyri mortem, quid Cambiſis exitum, quid Magni Pompei miſerabilem illam

cædem referam. Ea de cauſa Solon ille Græciæ ſapientiſſimus, interrogatus à Crœſo, Lydiæ Rege, quem beatiſsimum omnium arbitraretur, Tellum quendam Atheniensem reſpondit, qui in opibus exiguis, in patria florente, liberos & forma & uiribus excellentes ſuſceperat, poſteaq; mortem tranquilliſsimam obierat. Annumerauit etiam Cleobin, & Bitona, Argiuos; quorum mater cum à Iunone, cuius erat ſacerdos, precata eſſet, ut illis largiretur quod maximum homini præſtari poſſet à Deo, fuit illis, ut ſummum præmium pietatis, mors attributa. quem finem uno ore appellant uitam beatam, florentem, atque felicem, omni genere mali uacantem, & omnibus bonis affluentem: eo quòd mors nil aliud eſt, quàm rerum perfectio ad ultimum finem aſſequendum. quem quidem finem perfectum eſſe tunc dicunt, cum inſtar eius, qui aliquò ſagittam aut haſtam collimans, directis intentisq; oculis ſcopum intuetur, ratio ipſa quidem finem propoſitum, tanquam ſignum, conſpicit, in quod omnes ſimul dirigat actiones. Si igitur in uitæ principio eſt uitæ etiam finis conſtituendus: cui dubium eſt, quin illud ſit nobis ultimum omnium rerum expetendum, cuius beneficio in lucem editi ſumus, & in cuius cupiditatem impetu naturæ uehementer incitamur? In illum igitur fontem omnium bonorum inexhauſtum, atque perennem, unde profluximus, & cuius beneficio conſeruamur, magnopere uidetur optãdum ut celeri conuerſione redeamus. Sed quoniam in hac uita nihil eſt firmum, ſtabile, & diuturnum, ſed omnia fluxa, fragilia, atque caduca; fieri non poteſt, ut hoc generis ornamentum perpetuum maneat. Fuit itaque Sigiſmundus eximius ille quidem Rex, ſed ipſe quoque Rex mortalis, in morte autem animi conſtantia firmus, ac plane immutabilis, adeo ut ad diuinitatem ipſam omnibus modis aſpirare certo uideretur. Eaq; uel una conſolatio, Bona ſereniſsima, tete ſubleuare debuit, quòd, cum in terris tantopere pro augendis tuis commodis ſemper laborarit, nunc pro tua tuorumq;

tuorumq; filiorum incolumitate deum precaturus eſt. Iam uero Auguſte Rex, cum ex iſto dolore, quo Bonam Reginam, matrem tuam, tuasq; ſorores mæſtiſsimas, ac totum hunc ſenatum affectum uidemus, facile fiat, ut tu quoque langueas, omnesq; animi tui partes diuexentur: tamen, ſi Regi, parenti tuo, uita functo, eiusq; memoriæ tribuendum aliquid putas, æquo animo, quemadmodum & ratio poſtulat, & leges præcipiunt, ſuſtinere illius interitum debes, neque mortem potius, quàm præclaram illius uitam, et maxima in uniuerſum regnum, ac preſertim in te merita ponderare: eoq; magis hoc te decet, quòd apud omnes talis huius ampliſsimi regni ſucceſſor, & hæres habearis, qui non ſolum ſplendore ſatis ornatus iudiceris, ſed tua induſtria & uirtute nihilo inferiorem, forte etiam aliquanto maiorem laudem tibi ſis comparaturus. O felix & fortunata domus Iagellona, quæ ab eodem principio minime dubitat procreari poſteros ſuis maioribus & dignitate, & geſtarum rerum gloria ſimillimos: quod raro in aliis eueniſſe conſtat: cum ſæpiſsime ex aureo parente argenteam naſci ſobolem, ex argenteo auream uideamus. oſtentet iam, ſi quis uelit, imagines ſuas, nobilitatis ſeriem à ſtirpe repetat, Herculem, aut heroum aliquem, generis ſui principem, & auctorem, quocunque orationis genere confirmet, aut ſe etiam Ioue prognatum patre dicat, dum nobis uere liceat Sigiſmundũ hunc Regem nominare: quod quidem iam maxime licebit, cum alterum Sigiſmundum pari uirtute ac integritate florentem, iamq; iisdem laudibus æqualem, tanquam immortalis gloriæ pignus habeamus. Tibi igitur, Sigiſmunde, nouo Regi, omnium harum rerum cauſa gratulor, idq; eo animo, quo quis facere debet, cum ex tota animi alacritate coniunctiſsimo gratulatur, nec hoc ſolum, quia Rex digniſsimus tanto Regi feliciter ſucceſſeris, (omnino enim is tuus erat locus) ſed quòd ea uirtute, atque animi amplitudine in eum locum ueniſti, quem, uel ſi alieniſsimus fuiſſes, ſolus tuo ſplendore, atque iſta animi tui altitudine facile conſequi

conſequi potuiſſes. Quis enim te Rex alius, aut æquitate, aut animi magnitudine, aut prudentia, aut beneficentia, aut moderatione, præſtantior eſſe poſſet? Quare tuis quoque iſtis heroibus, uniuerſoq; regno ualde gratulor, quibus multo plus ex tua uirtute ſplendoris, quàm tibi ex iſto ampliſſimo regno uel auctoritatis, uel dignitatis acceſſit. Sed quoniam locus hic non eſt, ut tuam uirtutem pluribus uerbis exponam; gratulationi meæ id adiungam, ut eiuſdem Principis mei nomine iſtam tuam felicitatem perpetuam tibi exoptem; Deosq; omnes orem, ut actionibus tui præſtantiſſimis, animoq; tuo, nihil unquam non præclarum cogitanti, uoluntas eorum reſpondeat; quodq; regnum à patre accepiſti, omnium gentium ſummo conſenſu, incredibili lætitia, id non ſolum tibi perpetuo fortunent, ſed ita augeant, atque cumulent, ut tua ſumma uirtus, & par uirtuti, multis argumentis teſtata, humanitas poſtulat.

AD

AD EQVITES POLONOS.

SAEPE ego uos, illuſtres Poloni Equites, non modo ut ueſtræ prouinciæ ornamentum, ſed plane ut Europæ uniuerſæ, atque adeo terrarum orbis lumina, & quaſi ſidera quædam micantia intueor, ſi quando id mihi uel caſu aliquo, uel fortuna contingat. nunc uero, cum præſens animaduerto ſplendorem iſtum, qui partim ex aſpectu ueſtro, partim ex ea, quam uobis ſumma uirtus peperit, dignitate, ob oculos meos effulget; magnam ſane in admirationem rapior, titubat animus uehementer, mensq; in uarias dicendi formas agitatur, neque uox, neque lingua conſiſtit. Nec poſſum ſane non etiam atque etiam commoueri, animoq; angi, cum indoctus, minime eloquens, ac pene dixerim elinguis, apud uos Equites omni laude præſtantes, uosq; Senatores omniũ ſapientiſsimos, grauiſſimos, diſertiſsimos, de iſto ueſtro tam excellenti bono & gloria in hac ſummi Regis ueſtri coronatione, deq; eiuſdem Regis laude, in hac temporis anguſtia, ſim uerba facturus. ſunt enim hæc eiuſmodi, ut qui ea, quantum res poſtulat, non dicam exornare, ſed dicendo complecti omnia uoluerit, ei conſiderandum uideatur, ac plane ſtatuẽdum, ſatius eſſe de maximis rebus ſilentium facere, quàm ita dicere, ut argumenti propoſiti dignitatẽ minime aſſequatur oratio. Sed quãdo mihi officium dicendi Hercules Ferrarienſium Princeps mandatum eſſe uoluit, ſuſceptam rem, dabo operam, ut ſuſtineam, ſpe maxime recreatus humanitatis ueſtræ: quæ certe, ſi me grauitate oneris oppreſſum ſenſeritis, inclinanti ſuccurret, uiriumq; noſtrarum confirmabit imbecillitatem. quòd ſi noſtrã orationem, ut ſpero, diligenter attendetis, profecto mecum omnes iudicabitis alium Regẽ uobis poſterisq; ueſtris magis aut ad pericula fortem, aut ad uſum & diſciplinam peritum, aut ad labores firmum ac uigilantem, aut ad conſilia prudentem, ad caſum fortunamq; felicem eligi hoc uno potuiſſe neminem. etſi iure ſuo & ſucceſsionẽ

ſucceſsione hereditaria electio cum iuſtiſsima, tum pruden tiſsima, conſilioq; optimo contigerit: quod antiquiſsimus mos omnis omnium genium indicat: et hoc quidem tam apud alios, qui ante Romanos imperarunt, quàm apud chri ſtianæ pietatis cultores, quiq; uel eos multis ſæculis anteceſ ſerunt. Nam ſi genus ad dignitatem pertinet, quis regio nomine dignior, quàm regia ſtirpe, eaq; antiquiſsima, & auguſtiſsima procreatus? ſi uirtute tantum nominis gloria compa ratur, quis Regi ueſtro non dicam præferendus, ſed, ut dicam quod ſentio, conferendus omnino uidetur? &, ut pauca de multis attingam, eſt ne aliquis animi magnitudine nobilior, eſt laude liberalitatis illuſtrior, ingenii flore præſtantior? Prætereo pietatem in matrem, humanitatem in omnes, etiam alienos & ignotos, poſtremo, quod omnium eſt maximum, ardens quoddam & ſingulare chriſtianæ ſtudium religionis, nullo unquam tempore, finitimis populis diſſentientibus, intermiſſum, acerrimeq; & conſtantiſſime cuſtoditum, ac defenſum. Quæ tam uaria tantarum uirtutum munera cum in uno ueſtro Rege uigere conſtet, quis hanc electionem non probet, non ad cœlum efferat laudibus, non gaudio exultans, iucunditate affluens, totus hilaris, cumulate æterno deo gratias agat? (quanquam gratia tanta referri non poteſt, quanta debetur) quòd uos omnes parentes ac liberos, & ampliſsimum hoc regnum, hancq; Cracouienſem ciuitatem uberrimam, cœleſti origine uetuſtiſsimorum Regum, fœdere, coniunctionisq; neceſsitudine & amicitiæ muniſsimam, artium ac rerum præſtantia, nobilitate incolentium reliquis omnibus, quotquot unquam uidimus, audiuimus, legimus, antecellentẽ, admirabilemq; iuſtiſsimo & fortiſsimo Regi regendam commiſerit, ac iure ſuo immunitatibusq; perfrui conceſſerit. cuius tanta laus, tanta item uirtutis & gloriæ amplitudo à ſe ipſa oritur, & ſua ſponte naſcitur, à ſe ipſa alitur, & augetur: ut iam nullis terrarum regionibus comprendi, non ipſo mundo, non ipſo, ut ita dicam, cœlo definiri, uel includi poſſe uideatur.

Verum

Verum curſus eſt mihi reprimendus uoluntatis ac ſtudii mei. nam cum ex prudentum conſiliis illud primum, aut proximum certe uideatur eſſe, ut, ad quas res peragendas uires non ſufficiant, conſulto eas omittamus, ut ſcilicet infirmitatis potius argui, quàm imprudentiæ condemnari poſſimus: præſtare puto, ingenii tenuitatem modeſte fateri, & in eo quaſi culpam deprecari, quàm in tanta rerum magnitudine exiguis uiribus impudenter experiri. Præclarum putatur, Equites egregii, pacis artibus excellere: bellicam uero ſcientiam una conſequi, & ad ſcientiam, animi fortitudinem adiungere, quia rarum eſt, ideo mirum, & apud omnes homines in omni ætate ſummæ laudi ſemper fuit. quod utrunque, cum in Regem ueſtrum intueor, ſic agnoſco, ut ſtatim mihi ueteres hiſtoriæ ſuccurrant: quæq; in illis legẽdo, atque obſeruando ſæpe mecum ſum admiratus, non in uno duce, aut rege collecta, ſed in plurimis uarie diſperſa, ea cuncta diuinitus in unum Regem ueſtrum collata ſuſpicio, in quo non modo ſummam auctoritatem, ſummamq; tum regendi, ac tuendi, tum etiã amplificandi imperii ſcientiam abunde eſſe perſpicio, ſed præterea datam ab aſtris eã felicitatem ac fortunam, qualem in ſummo imperatore oportere ineſſe, ſcite admodum Romanæ pater eloquentiæ Cicero exiſtimauit. Prætermitto illa, quæ uir doctiſsimus ac ſapientiſsimus Cato demonſtrat, magnam ſcilicet in aſpectu dignitatem, in inceſſu ſpeciem ac uenuſtatem, in eloquio ſententiam ac leporem, atque in omni negocio maturitatem. quàm equidem ſæpe memini, cum per uarias Europæ regiones legatus pro Hercule Ferrariẽſium Duce ad ſummos Principes excurrerem, hæc audiuiſſe multos de ueſtro Rege, dum ſenior etiam uiueret, uerba prædicantes: Sarmatũ Rex Sigiſmundus tum ipſe talis Princeps eſt, tum uero tali filio præditus, ut nulla res tanta ſit, aut tam difficilis, quàm non uterque tum conſilio regere, tum integritate tueri, tum excellenti quadam exequi & conficere uirtute poſſit. Accedit illa, dux & parens bonarum omnium rerum, maxima

omnium uirtutum iuſtitia, quam Plato optimam, Ariſtoteles admirabilem, Cicero præſtantiſsimam, fundamentum perfectæ commendationis & famæ, Iuſtinianus diuinam appellarunt, ſine qua nihil ſane in Principe, quod uere Principis perſona dignum ſit, quiſquam inueniat: cum & ſua quaſi bona rebus omnibus communicet, & ſine ea, quidquid ubique eſt, iaceat prorſus, ac plane apud omnes obſoleſcat. Quæ quidem uirtus clarior quàm ipſe lucifer, aut heſperus, mirum in modũ hoc in Rege ueſtro refulget, ut nihil uel expectet, uel optet, nil exigat, quod non ſit legibus iuſtiſsimis, & optima æquitate temperatum. adeſt enim illi diuinis ac humanis legibus animus obtemperans, mireq; ſemper deditus, ſine cuius imperio nec ulla quidem domus, ne dum ciuitas, nec hominum uniuerſum genus, nec rerum natura omnis, nec ipſe etiam mundus conſiſtere poteſt. Itaque recte traditum à ſummis uiris, nil tam aduerſum ciuitati, uel regno, quã iniuſtitia. nam unde abeſt iuſtitia, ibi adeſt iniquitas, & improbitas, ibi cædes, homicidia, rapinæ & furta uigẽt: quæ niſi diuina ope & iuſtiſsimarum legum ſuffragio tollerẽtur, probi & liberales incertas, atque in caſu poſitas res ſuas haberent, & non modo opibus affluentes ac diuites, ſed etiam inopes ac pauperes, ipſæq; ciuitates maximos in luctus inciderent. Nec multa ſunt exempla colligenda. patet omnium mentibus atque oculis urbs ipſa Roma, orbis terrarum domina: quæ poſtquam, deſtitutis legibus, iniuſtitiæ locum dedit, cum iniuſtos foueret homines, & ad imperia extolleret in libera ciuitate non ferenda, pedem protinus referre, ac primo ſenſim in deterius labi, deinde graui caſu ruere cœpit. ita quæ multorum ſæculorum labor, plurimorum uirorum uirtus pepererat, neglecta iuſtitiæ cura facile perdidit. Quid inſuper loquar de illa perturbationum moderatrice cõtinentia, quid de modeſtia, quid de magnitudine animi, de æquanimitate & tolerantia, quid de animi gratitudine? Non cõmemorabo ſingulas eius uirtutes, neque ſigillatim in iis laudandis & cõprobandis inſiſtã: quãdo omnes tãta

ſerie

ſerie & quaſi affinitate inter ſe cõiunctæ ſunt, ut altera abſque altera plane conſiſtere non poſsit. omnes enim uirtutes inter ſe ita connexæ coniunctæq; cohærent, ut, qui profeſſus unam tantum fuerit, nullam omnino ſe eſſe habiturum ſperare poſsit. Non igitur opus eſt, neque aggrediendum cenſeo, quandoquidem id fieri uix poſſe puto, ut omnes eius uirtutes accurata oratione perſequamur: cum unam ex multis plene perfecteq; celebrare non facile quiſquam, uel potius nemo plane poſsit. illam quidem, qua reguntur animi motus, affectiones ſedantur, libidines comprimuntur, ornem uerbis, an tacitus prætermittam? alterum pro eius merito non licet: alterum ſi committam, ignoraſſe uidear fortaſſe, quod omnibus notiſtimum eſſe conſtat. quis enim huius Regis temperantia illuſtrius? quis illum unquam uel ira præcipitem, uel gaudio ſupra dignitatem exultantem, uel minima cupiditate geſtientem, denique uel metu conſternatum, uel ulla omnino in re à ratione auerſum unquam uidit, aut uno eum in uerbo notauit, quod Principi grauiſsimo non congrueret? Notiſsimum eſt, bene merẽtes quo ſtudio extollat, quibus augeat honoribus, & commodis, quàm ſit etiam in alienos, modo aliqua uirtute excellant, munificus ac liberalis, quàm in hoſtes, ſi furorem depoſuerint, clemens, ſin pertinaces in odio fuerint, fortis ac ſtrenuus. Verum inter cæteras eius uirtutes ea, quæ Regina quædam & parens uirtutum omnium reliquarum iure duci poteſt, primum locum ſibi beneficẽtia uendicat. id enim illa maxime ſpectat, ut omnibus bene ſit, ut uniuerſum genus humanum ſolida, ſi fieri poſſit, felicitate perfruatur. cuius rei uos quidem Equites (ut alii prope innumerabiles omittantur) aut cuncti pariter, aut plerique, perſpicuum affertis teſtimonium, qui, ſi quando uobis tempora minus ſecunda eſſent, minus ex uoluntate fluerent, ſubleuati, ac ditati, multa & maxima liberalitatis & munificentiæ ſigna retuliſtis. Sentio mihi non licere in tam breui tẽporis ſpatio illa omnia, quibus Rex ueſter regno dignus

est, connumerare. sed, si modo mihi de sola prudentia plene differere datum sit, quæ una omnis in hoc Augusto Rege eminet, deq; eius prudentiæ partibus, ut pote quanta sit in regendo industria, in conficiendo celeritas, in prouidendo consilium: uerear equidem, ne longior, quàm par sit, oratio, presertim ornamentis eloquentiæ destituta, fastidiũ pariat audientibus. Extat enim illa uirtus, sublimis inter alias, omnium amplissima, sine qua nulla alia neque recte tractari, neque percipi queat. Quapropter non nullos philosophorum fuisse legimus, qui in ethicam, siue monasticam, œconomicam, & politicam, ut Aristoteles, & Plato, alii uero, ut Tullius, & Seneca, in prouidentiam, intelligentiam, atque memoriam distribuendam existimarunt. Quæ omnia cum ille sibi non ad ambitionem, inanem ue laudem, sed ad uestram, omniumq;, qui eius imperio parent, tranquillitatem, ad uestra commoda augenda, uestras fortunas in omni fortuna tuendas, mira uigilantia, industriaq;, impellente uoluntate, adiuuante natura, coluerit, atque comparariť; reliquum est, ut de felicitate, quam præstare de se ipso nemo potest, cum à sola fortuna pendere existimetur, agamus, quam & græci, & nostri philosophi finem uocant, summumq; bonum; siue sit ea in honestate sita, ut Socrates, Xeno, Cleantes, & Stoicorum reliqui; siue in exercitatione perfectæ uirtutis, ut Aristoteles, & Theophrastus; siue in mentis uoluptate, ut Epicurus, Aristippus; siue in perturbationũ & dolorum uacuitate, ut diuus Hieronymus; siue in primis & maximis naturæ bonis, ut Carneades; siue in uoluptate pariter, & honestate, atque indolentia, ut Theodorus peripateticus; siue quocunque modo per complexionẽ simplicis sententiæ multiplicetur in plurimis, ut eleganter ac diserte à Cicerone traditum est in eo libro, qui de finibus inscribitur bonorum & malorum. multis tamen uarie sentientibus, omnium sententia Regem uestrum felicem protinus esse, nemo inficiabitur. si uero de illa felicitate, seu fortuna, quam Cicero definit esse summis uiris ad amplitudinem, ad gloriã, ad res magnas præclare gerẽdas cum fortuna diuinitus

diuinitus iunctam, oratio habeatur: ecquis hunc Regem uestrum, cum opes eius, imperium amplissimũ utriusque Sarmatiæ, fortissimum fortunatissimumq; conspexerit, non fateatur esse, non dicam iis, qui felices unquam habiti sunt, parem, sed ualde præstantiorem? Adsunt etiam ad amplitudinem fortunæ cætera illa, quæ corporis bona nominantur, uigor, & alacritas in sensibus, corporis magnitudo, robur, forma. Quænam igitur ex fortunæ & felicitatis dotibus in eo desiderari possunt, cui quidem ita fortuna fauit, ita sese dat, ita gerendis in rebus prona ubique uidetur, ut, non modo si consilium & uoluntas antecesserit, uerum etiã optima quæque subministret? Cum uero ad eius proximam radicem, unde editus est, mentis oculos conuerto, summiq; parentis eius felicitatem, &, ut ita dixerim, diuinam conditionem intueor; non est, cur hunc uestrum Regem, omni uirtute ornatissimum, tam diuinæ fortunæ ac felicitatis dotibus locupletari potuisse miremur. Cum, Alexandro mortuo, omnia fere Tartarorum atque Moscouitarum incursionibus infestarentur; eoq; res perducta iam pene esset, ut Polonicum nomen, quod prius uniuersam Sarmatiam suo splendore illuminauerat, tanquam orbatum suo lumine obscuris in tenebris iaceret; Sigismundi, huius uestri Regis patris, sapientia, summaq; fortitudine protinus effectum est, ut non solum recuperata restitutaq; sint omnia, sed & ea Princeps uere magnanimus auxerit, aucta amplificarit, amplificata defenderit, & custodierit. Plura quidem eius consilio, uirtute, ingenio constat esse gesta, quàm aliquis hac tẽpestate aut sperare, aut optare auderet. Quis enim crederet, ò præstantissimi equites, Lithuanos, Russios, Samagitasq;, ac cæteros populos, qui uestro parent imperio, sæpe insidiis, sæpe armis petitos callidissimorum ac ualidissimorum hostium, tam breui tempore quietem & libertatem pristinam esse consecutos? totq; feras barbarorum nationes profligatas, è finibusq; uestris longissime extrusas? En testes adsunt tantarum uictoriarum, uiri præstantes, Ioannes

Tharnouius

Tharnouius, Petrus Cmita, Stanislaus Lascus, Petrus Firlegius, Andreas Gorcanus, & alii complures huius regni exercituum strenui Imperatores; qui Regis exemplum secuti, æmulatione præclaræ laudis incitati, eorundem hostium impetum toties sustinuerunt, eosdemq; toties suffosis equis ad pedes desilientes in fugam coniecerunt. Hæc sane magna sunt, hæc digna uiris, hæc æternis literarum monimentis per omnium sæculorum memoriam propaganda. Verum si Augusti Regis & belli, & pacis peritiam ante oculos proposueritis, non dubito, quin ista omnia commodius atque celerius ab eo regi, expediri, conficiq; existimetis. Non ne iam uidetis Asiaticos homines, suos fines amplius non egredi? feras gentes, maximeq; omnium barbaras, Valachos, Scythas, Moscosq;, cum bellum mouere cupiant, armis tamen, metu perterritos, abstinere; Germanos non satis tutos suis finibus, Marcomannia, Silesiaq; contineri. Percurrite animis, percurrite Iagellones illos ueteres, Vladislaos, item Casimiros, quorum uirtute, dignitate, gloria, apud omnes gentes uestrum nomẽ, uestra uirtus enituit. Adest enim profecto in hoc Augusto solo illa horũ omniũ uis animi, atque cõsilii, & in gubernando rebusq; gerendis intelligẽtia. Atque hæc quidem & his longe maiora eius ingenio si committantur, exitum omnia, qualem optare uobis licet, facile consequantur. Ac cæteri quidem illas uirtutes, quæ in bellis momenti habent plurimũ, simul cum ætate adepti sunt. Hic uero ab ipsa pueritia adeo se strenue gessit, sic obiuit omnia, quocunque res uocauit, modo ducis egregii, modo militis numera fortissimi, ut nostra ætate nemo fuerit, qui perfectius Principis excellentis officia sit executus, aut firmius ea, quæ omnibus uidebantur grauissima, sustinuerit. Mitto in deliberando prudentiam, in conficiendo celeritatem, in regendo iustitiam, denique in ignoscendo regiã quandam ab animi altitudine profectam facilitatem, atque clementiam, ita, ut quisquis ad hunc Regem accesserit, nõ iam mortalem, sed ab ipsis astris ad uos delapsum esse, necessario

cessario fateamur. Vsque adeo nihil non ad gloriam, atque ad exemplum illorum imperatorum, quorum eximias laudes orbis terrarum cantat, referre consueuit. Quid igitur miremur, si hunc unum ita diligunt omnes, ut eundem simul omnes uereantur, ac metuant? cumq; homo natura sit animal cupidum imperandi, parere tamen huic certatim omnes uolunt, & se fortunatos, ac plane beatos in eius imperio arbitrantur. Hæc longinquæ gentes cum audiunt, hæc posteritas, loquentibus historiis, cum accipiet, quis aut nunc dubitat, aut dubitare unquam poterit, quin hoc uno in Rege multi Cyri, Agesilai, Epaminondæ, Camilli, Scipiones, Catones, aliiq;, quos mirata antiquitas est, ita fuerint, ut diuersas, ut diuersa est temporum ratio, partes ageret, & in iis omnes alios uinceret, sibi autem ipse omni in actione par esset, hoc est semper admirabilis, ac plane singularis? quis uero de iis, qui nunc uiuunt, optimi regiminis, atque imperii felicitatem non fore in hoc uno repositam affirmat? licet ea uirtute, & omnium rerum excellentia ad regendum aptissimus, iampridem approbatus à uobis extiterit, æquissimo certissimoq; iure imperium sibi uendicarit? Plerique enim magni uiri dubitare aliquãdo consueuerunt, an regnãdi causa ius uiolari possit. & ex antiquissimis græcorum quèndam Aristoteles inducit, cui durissimum esse uidebatur, eos bello premi ac subiici, quos natura liberos genuerit, cum neque indignius quicquam, neque minus æquum sit, quàm uelle aliquem alterius iactura locupletari. iccirco Cicero temeritatẽ C. Cæsaris accusauit, quòd impulsus libidine dominandi, omnia diuina & humana iura peruertere ausus est. At, qui in ditionem & potestatem alicuius natura cadunt, quiq; iustissimi Regis imperio parent, iis sæpe maior felicitas oritur, atque confirmatur. hoc enim humanis diuinisq; legibus traditum est, ut imbecilliores uel animo, uel fortuna, fortioribus ac præstantioribus lubentes obtemperent. Inde factum est, ut quodam naturali iure, quod gentium appellamus, homines hominibus indicere bella

bella consueuerint. Quapropter si quem antecellere cæteris omnium uirtutum genere uidemus, natum & datum gentibus ut imperet; non solum domesticum iis imperium, in quos ius habet, poterit iuste constituere, sed & iis, quibus dignior atque illustrior habeatur: ita humanæ societati digne imperando consulere, si modo Princeps eiusmodi sit, ut animum nullo in loco desidere, & quasi per ignauiam hebescere patiatur: sed iacentem excitet, excitatum impellat, ut curet ac tueatur in primis patriæ commoda, sibi gloriam pariat, omnes ab iniuria defendat. neque enim is, cuius potestas est, ad suum arbitrium leges reuocabit; neque sibi uendicabit uni, quod omnibus patere, omnium commune debet esse; sed omnium ei actionum finis erit decus: quales illi fuere, primi urbium conditores, qui homines in siluis bestiarum more uitam temere agentes, unum in locum ad certa quædam iura compulerunt: quos certe non diuitiarum magnitudo, non agrorum lata possessio, sed illa, cui omnes diuitiæ, omnes agri cedant necesse est, una inquam illos gloria tam præclari muneris ad studia incitauit. Horũ exemplo hic Rex uester, quæcunque uobis & uniuerso regno putat expedire, hæc amplectitur, & amat, huc omnia dirigit consilia, omnia confert studia: nihil prorsus agit, quod non & ueræ uirtutis, & perfecti normæ ac ratione metiatur. o uere mihi, nec semel tantum, sed sæpe felicem appellandam Poloniam, o fortunatam Lithuaniam, Russiam, Prussiam, Masouiam, Samagitiam, & ciuitatem hanc beatissimam, iucundissimis quasi nuptiis digno sociatam uiro, quæ tanta omnium bonorum affluentia, auspice deo, nupta exultat, ac triumphat. Contueor ergo ciuitatem hanc (ex hac loquor præsenti forma, quam illi Rex uester, artifex nimirum rerum optimarum egregius, solito præstantiorem attulit) ueluti miræ cõpositionis & elegantis corporis nympham, ut & diuus Ioannes dicere solebat, uidi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo, à deo paratam, sicut sponsam ornatam uiro suo. huius ergo præclarissimæ ciuitatis

ciuitatis uos Equites & Principes membra quædam iudico, ipsum autem Regem uestrum non solum caput, sed & cor esse existimo. quæ duo uti sunt in tota humani corporis constitutione præcipua membra, ac totam illam structuram regunt, & moderantur, quorum alterum, cor scilicet, ob egregiam suam dignitatem, animam corporis esse Aristoteles asseruit, tanquam omnium subiectorum Imperatorem & Principem diuina prouidẽtia in medio corporis collocatum. Caput uero, quia diuinis rebus quasi cognatum est, in summa arce defixit, ut, quod sublimius extat, cælestia contempletur. quis ergo nesciat omnem neruorum multitudinem initium à capite sumere, & spiritus quidem in cordis organo genitos, exinde transmissos ad cerebrum, à naturali calore in quaslibet partes diffundi? Vt igitur sensuum omnium sedem esse caput uidemus: sic uos tanquam membra à tam præstanti capite, idest ab optimo Principe, omnium bonorum spirituum, & sapientiæ, & iustitiæ, & felicitatis eximiæ fomenta recipitis. Quanta igitur huic capiti uestro præstantia sit à Deo opt. max. attributa, paucis à me uerbis, ne, quæ ipsi nostis, longiori oratione exponerem, audiuistis. quæ sunt eiusmodi, ut mihi persuadeam, nihil in humanis rebus uerius, nihil naturæ conuenientius dici, uel omnino excogitari posse. Hunc itaque Regem uestrum, ad quem in his sanctissimis ædibus coronandum uestra nobilissima præsentia conueniστis, uti cor & caput rerum pub. perpetuo fouebitis, coletis, omniq; pietate æterno Deo gratias agetis, ut hæc uestra uita, quæ corde & spiritu tota continetur, uigeat, non ad exigui spatium temporis, sed ad immensam omnium sæculorum memoriam, eamq; posteritas alat, æternitas custodiat, cunctisq; bonis adaugeat; ut, quicunque succedent uobis, & suas in hac prouincia sedes habebunt, Regem ipsum admirentur, tota uirtute ornatum, uos efferant laudibus, quorum erga tantam uirtutem ea, quæ decent, iudicia, animorumq; præclara monimenta perspicient. Tu uero, Auguste Rex inclytissime,

fruere æternum iſto tuo bono. Chriſtum tuæ gloriæ auctorem ſemper intuere, omnes tuas curas in Reip. ſalute defige, & ad æternam atque diuinam gloriam, ut facis, aſſidue ſpecta. Verum, cum tempus iam admonere uideatur, ut, quò me ſtudium animi uehemens impulit, inde me reuocem, & ad inſtituti ſermonis finem perueniam: orationem meam Herculis Ferrarienſium Principis, tibi nō ſolum affinitate, uerum omni plane beneuolentia coniunctiſsimi, mandato concludam: teq; rogabo, quod tibi fore cariſsimum uideo, ut Principem ipſum meum, meq; nunc eius nomine te alloquentem, libenter pro tua ſingulari humanitate excipias.

HIPPOLYTI ESTENSIS, S. RO. E. CARDINALIS LAVDATIO.

IVRE FACIT, ſi quis, examinatis ante uiribus ingenii ſui, aggreditur ad ea, in quibus
I non fruſtra locatur opera, ſed euentu præclaro elucet induſtria. Veruntamen, etiam ſi non aſſequamur quod ſummum eſt, elaborare tamen egregiis in rebus magni ac ſapientes uiri ſemper eximia laude dignum iudicarunt. itaque Xenophon ille Socraticus, ob eloquentiam Muſa Attica appellatus, cum Ageſilai Lacedæmoniorū Regis, domi foriſq; celebratiſsimi, laudes aggrederetur, intelligeretq; ſe neque uirtutem illius, neque gloriam facile ſcribendo pro dignitate poſſe complecti, nihilo tamen ſecius id ſibi muneris ſuſcipiendum exiſtimauit, quòd non recte ſe res haberet, ſi, quoniam ad ſummum uirtutis gradum Ageſilaus peruenisſet, iccirco eum non niſi ſummis laudibus extollere fas eſſet. præclare ille quidem, ut cætera omnia. ſi enim ad omnem clariſsimorum uirorū laudationem ſoli, qui præter ceteros excellunt, oratores adhiberentur; ea eſt eorum plerunque penuria, ut optimus fere quisque illaudatus non ſine iniuria uel maxima prætermittatur. Cuius ego exemplo auctoritateq; niſi hodierno die confirmatus eſſem, Patres ampliſsimi; mandatum hoc mihi laudationis munus non dicam renuiſſem, ſed dubius certe anxiusq; ſuſcepiſſem: quòd nihil uereor, ne exiſtimatio, non dum apud uos ob adoleſcentiam parta, naufragiū in his maxime dubiis quaſi dicendi fluctibus factura ſit. Dicendum eſt enim de Hippolyti Eſtenſis, Cardinalis ampliſſimi, laudibus, de quibus nec dici plura ſane poſſunt, quàm omnium uoce linguisq; celebrantur; &, ſi taceatur aliquid, magna illius iniuria, uirtutumq; omnium haud leui offenſione fiat, neceſſe eſt. Qua in re plurimum illud mihi aduer ſatur, quod reliquis aliis in cauſis maxime ſolet prodeſſe, ue ſtra ſcilicet hæc attentio atque expectatio, quippe quos res

ab illo geſtas oratione me adæquaturum, aut certe pro tempore explicaturum ſperare uideo. Accedit & illud, quod ego ſemper iudicaui, uel mediocrem cuiuslibet hominis laudationem plurimum habere in ſe difficultatis, cum propter ipſum arduum negocium, quod multam doctrinam, eximiumq; iudicium poſtulat; tum uel maxime, quòd cum hominum diuerſæ, occultæq; ſint uoluntates, ac multiplices ſenſus, non poſsit commode libereq; ſine multorum offenſione tractari. Quæ res ſi magnam in quibuslibet mihi ſolicitudinem afferre ſolet: in Hippolyto certe laudando, dum tot res geſtæ, tot aduerſæ factiones, tot contrariæ ſententiæ, tot diſsimilia ſtudia mihi occurſant, dum animo plura de illo iudicia, à pleriſque facta, repeto, ac oculis unumquenque circumluſtro; qui me æſtus, qui terror, quæ tenebræ circunueniunt, ne quibusdam multo plura dixiſſe, quã dixerim, non nullis autem nihil plane dixiſſe uidear? A uobis igitur hoc unum Patres peto, (ſi modo uobis æqua & honeſta uidetur poſtulatio) ut, cum offenſionem negligentiæ, quòd propter laudum multitudinem multa prætermiſſurus ſum, uitare non poſsim, æqui mihi iudices eſſe uelitis, neque uero illius uirtutis magnitudini iniuriam à me fieri ullã exiſtimetis, ſi eã dicendo aſſequutus nõ fuero; ſed, quod in ipſo præpotenti Deo, cæleſtibusq; laudãdis fieri ſolet, quicquid in dicendo mihi defuiſſe uideritis, deſiderio id meo, ſtudioq; compenſetis. Dicam igitur, ueſtris etiam æquiſsimis auribus frętus, de eius patria, quæ uobis communis eſt, de genere, parentibus, deq; ipſius educatione, ac moribus; resq; ab illo, pro temporis huiuſce anguſtiis, in omni uirtutum genere geſtas, ſic enumerabo, ut, quæ ego audio à quibuſdam, minime ſatis pro illius dignitate deſcribi, nec inter præcipuas eius laudes (manant autem maximæ laudes ex ſolida ueraq; gloria) reponenda contẽdam. Quanquam autem haud neſcius ſum, generis laudem haudquaquam magnum dicenti pondus afferre; eam tamen, cum ad uirtutem, quæ uera laus eſt, non nihil conducere uideatur,

tur, minime mihi prætermittendam exiſtimaui. Nam qui parentibus nati ſunt obſcuris, uirtutem illi quidem ſibi parere potuerunt, ſed illa tamen aſciticia in deteriorem illis partem ob generis humilitatem ſæpiſsime labitur. qui uero maiorum exemplis incitati ad gloriæ cupiditatem incubuerunt, ita demum omni uirtute cumulati extiterunt, ut inter omnes excelluerint: qui quòd firmiſsima ad amplitudinem habeant fundamenta nobilitatis, omnibus ſummis honoribus digniſsimi exiſtimantur, quippe qui duplici ad dignitatem præſidio ſint muniti, uno, quod à familiæ celebritate, altero, quod à uirtutis magnitudine proficiſcitur. Ego uero, quanquam nullo modo is ſum, qui genere editos illuſtri, ſolos ad uirtutem natos eſſe credam, cũ ſit omnibus ad laudem curſus apertus, id tamen dico, plurimum adiumenti nobilitatem ad uirtutem amplexandam, atque ad honores conſequendos afferre. ut enim in ſemine cauſam eſſe ſcimus ſtirpium atque arborum: ſic & maiorum ſatu ingenerari plerunque poſteris indolem uirtutis uidemus. Et quemadmodum ſolis radiis oppoſita quædam corpora ſplendorem à ſole mutuatum reflectendo augere, & illuſtriorem reddere ſolent: ſic ipſa uirtus, omni ſplendidior ſole, à nobilitate maiorem accipit lucem, quàm ea eſſet, quam ipſa ſola contulerat. Atque ego in Hippolyto illud maxima laude dignum iudico, quòd, cum ipſius maiores, ob uirtutem, antiquum heroum genus iam pridem attigiſſe credantur, eam ille famam non hercle imminuit, ſed ita auxit, ut, niſi talibus parentibus eſſet ortus, ad tantam uirtutis amplitudinem peruenire potuiſſe uix ego exiſtimarem. Ferraria, Patres, in ea Italiæ regione urbs eſt, quæ flos ſemper, roburq; noſtræ gentis eſt habita, cæli clementia, ſoli fertilitate, affluenti rerum copia; Padi metropolis, à Boseo tempore, quo Romæ Capitolium conditũ ſit, pulſis Etruſcis conſtituta, auctaq; poſt aduentum Attilæ Hunnorum Regis, Aquilea, Ateſte, Montagnana, Monſilice, & Calaonio, aliisq; finitimis oppidis in Euganea euerſis, extincto

Foreſto

Foresto Euganeorum principe, dum pro Aquileiensium salute, magna peditum ac equitum manu Sesti magno animo obuiam prodiret, relictis filio Achario, ac Alforisio Maroeloq; nepotibus. Quorum atauis non Estensium tantum, sed Boiorum ac Saxonum Regulos prognatos, nec non Caroli Magni inclytam gentem deductam esse diligentissimi Italiarum rerum scriptores memoriæ prodiderunt. nam Tarquinio Prisco Romæ regnante, cum Ligures, Insubres, Sueui, Senones, Sicambri, Cimbri, Chamani, aliæq; Gallicæ & Germanicæ gentes, ductoribus Bellouesо, Sigouesо, Medone, Helitonio, alpes ad eam diem insuperabiles transgressi in Italiam confluerent; deinde Boii Boæmia, Herciniaq; à Marcomannis, Sueuiæq; populis expulsi uestigia priorum Rege Ciconio subsequuti, cumq; iam inter amnem Padum alpesq; omnia possiderent, Pado traiecto ratibus, pulsisq; ab agris Etruscorum Vmbrorumq; ueteribus colonis, cis Apenninum se tamen tuentes, postquam uarias condiderunt ciuitates, Mediolanum, Ticinum, Comum, Laudem Pompeiam, Bergomum, Brixiam, Parmam, Mutinam, Bononiam, Ferrariam, Veronam, Vincentiam, Tridentum, & alia pleraque oppida instauarassent, quatuor limitum præfectos eorũ imperio Theodotus eorum Rex instituisse dicitur. nam Licatiis Heroldum, Anasis Hirandum, Narisci Chamanisq; Rodulphum, Athesi aduersus Italos, Romanosq; Adalogerionem cognatum suum præposuit; qui quidem ab initio terminorum præfecti, tandem per se principes & Reguli esse cœperunt. Adalogerioni Aetius in Euganeis Regulus è Boiorum origine uetus initium ducens, nepos Theodeti e sorore, successit, dictusq; ab eo Athesi Athesinus, atque Euganeorum sedes eius Regia in ripa Athesis, addito T nuncupationem Atheste traxit. Deinde cum Longobardi sub idem tempus, successu Boiorum inuitati, in Italiam ruerent, Vuelfus, pronepos Aetii, in Vindeliciam superiorem confugit: cumq; in ripa Gelonis constitisset, locus ille ab eo cognomen Vuelfoen traxit, omnesq;

omnesq; huius nominis Vuelfones Boiorum Principes prodiere; & inter alios Vuelfus Regulus Charionum, auunculus alterius Vuelfonis, qui cum mortem obiret absque liberis, Chunigunda eius filia collocata fuit à parentibus Aetiono, seu Azoni Estensi Euganeorum præfecto, unde ortus est Vuelfus Dux Boiorum quartus, qui admittente matre, & auia ab Imperatore Henrico quarto hæres auunculi institutus, & ab eodem Ducatus Boiariæ præfectus est anno septuagesimo millesimo. cuius posteri sunt ii etiã, qui Brunsuicenses & Luneburgenses appellantur: quoniam ille Bauariam, Saxoniam, & Ducatum Angriuariæ, Vesphaliamq; tempore proscriptionis Vuelfus adeptus est. Hac enim ortus stirpe antiquissima Albertus, Alberti Vberti pronepos, cum ob furorem Berengarii quarti in Saxoniam ad Othonem primum se conferret, ducta uxore Alda, eius Othonis filia. Othone mortuo, Saxonum Regulo, ab Alberti filii stirpe eiusdem Principis hæreditatem ad se traxisse dicuntur. Qua in familia quando Vtilo filius Theodonis armato milite cum Theodoperto filio Theodorici Francorum Regis aduersus Danos properaret, interfecto illorum Rege Conchelario, quòd utilo egregia uirtute cognitus erat, & eo bello fortiter se gesserat, limiti Ambuaritorum inter Belgas citra Rhenum & Molam flumina præfectus factus est, sororemq; Theodorici uxorem duxit. à quo Vtilone Caroli Magni antiquissima stirps deducta traditur. Celebrent Romanorum scriptores Coruinos, laudent Torquatos, Troianos generis auctores, & siqua habent uetustatis & singularis nobilitatis exempla uetustiora ostentent. Quòd si Athenienses sibi gloriæ duxere, quòd terra geniti dicerentur; ob idq; reticulo quodam aureis cicadis distincto caput ornabant, ut ostenderent se instar cicadarum è terra, quam incolerent, fuisse generatos: si Aborigines in Italia inter eximios titulos hunc sibi præclarum putauere, quòd non aliunde oriundi, quàm è terra ipsa, quam incolerent, ut, quæ alimenta præberet, eadem natalibus initia præbuisset: sane

Estensium

Eſtenſium familiæ par commendatio, atque originis laus tri bui debet, quæ in Germania annis abhinc mille ducentis & amplius floruit, Ateſte, aliisq; Euganeorum urbibus annis amplius mille centū, ad ea ſcilicet tempora, cum Foreſtus, ac deinde eius filius Acharius, nepotesq; Alforiſius & Maroelus, anno ccccxxi. ſeſe irruenti Attilæ obiecerunt: itidemq; poſtea, uſque ad Vtarii, Longobardorum Regis, tempora: à quo legimus confirmatum eſſe Gutholdum in Eſtis, & locorum contingentium principatu. Ferrariæ uero perpetua Principum ſucceſsio non fuit, ſed eò temporis duntaxat, cum Federicus aduerſus Gregorium nonum ira æſtuaret, cum Ferraria, quæ ad Imperatorem defecerat, cum ſociis ciuitatibus ad obſequium eſt Eccleſiæ redacta. in qua recipienda in primis enituit Azonis Eſtenſis opera. eoq; merito ciuitatis illius regimen illi Pontifex attribuit; cum exiſtimaret Azonis imperium æquo animo Ferrarienſes paſſuros, eo maxime quòd olim non Ferrariam tantum, ſed Inſubriam, Liguriam, Veronenſes, Vicentinos, Anconitanosq; Eſtenſium familia diu rexerat. Ad illud igitur urbis imperium non alius debuit euehi, quàm qui regia prognatus ſtirpe, auorum regna repeteret. Ita Eſtenſium familia, ex uniuerſa Italia fere poſtrema, in Pontificum fide ac ditione perſtitit, & fluctuantem Petri nauiculam ſæpius confirmauit, quæ Gottos, & Longobardos non parua ſtrage affecit, cum effera illa gens omni ex parte in Romanos fines irrumpere tentaret, atque, Federico Aenobarbo Imperatore inſultante aduerſus auctoritatem Pōtificis, protuenda libertate Eccleſiæ ſeſe obiecit. & cum Imperatorius miles inſignia Aquilæ nigræ in areola aurea geſtaret, Rhainaldus etiam, in principatus & uictoriæ ſignum, Aquilam, cyaneo colore circunductam, albam effinxit, cum antea monocerote argenteo, eodem colore uteretur. poſteaq; uictor, more Hieronicorum, illam dicauit militibus: neque unquā poſtea in hoſtem ab Eſtenſibus proditum eſt, quin iuxta ſigna Aquila alba ſtaret, qualem Rhainaldus auſpicatiſsimo

ductu

ductu ab hoſte reportauit. Tantus denique progreſſus, incredibilisq; curſus Eſtenſium ad omnem excellentiam factus eſt, ut neque ante Romanum imperium, neque eo euerſo, Italus quiſquā aut populus, aut reſpublica, aut Rex fuerit, qui tantum ſibi imperii uendicauerit; nullum genus, quod Italo nomini maiora beneficia dederit; nulli homines, qui acrioribus ſtudiis libertatem defenſarint, ac legibus inſtitutisq; cuſtodierint. Eſtenſes, inquam, extiterunt, qui rem militarem obſoletam in Italia, cum ad omnē barbarorum undequaque erumpentium libidinē expoſiti Itali homines eſſent, atque ad inteſtina bella tractanda, quaſi prorſus imbelles ipſi eſſent, auxilia trans alpes expoſcerent, cum uirtute, tum etiam diſciplina reuocarunt. Eſtenſes Italiam, ut externum iugum excuteret, ſeq; in libertatē uendicaret, partim rationibus & conſiliis, partim etiā poteſtate coegerunt. Eſtenſes fuerūt, qui ſtudia literarum extincta reſtituerent, aperto Ferrariēſi gymnaſio ab Alberto ſecundo, ac doctiſsimis uiris undequaque cōuocatis, Theodoro Gaza, Bartholomeo Salicето, Giliolio Cremonenſi, Petro Ancharano, Antonio Butrienſi. Eſtenſes denique fuerunt, qui barbaris in Italiam irrūpere conantibus, in ipſis Padi faucibus regno conſtituto, uirtute, imperio, conſilio, felicitate ſeſe obiecerunt, impetusq; furentium, atque omnia diripere, ac diuexare cupientiū uitæ ſuæ periculo colligarunt, à progreſſu arcuerunt, à reditu refrænarunt. His igitur ortus maioribus Hippolytus, matre Eleonora Regis Aragonum filia, patre Hercule illo Eſtenſi Duce, omnium fortiſſimo, feliciſsimoq; : de cuius laudibus, ut de Carthagine legimus, tacere multo ſatius eſt, quàm pauca dicere. Hic enim tota ſubnixum Italia fregit Brachium; ipſamq; Italiam, in illo ruētis in deteriora ſæculi curſu, plurimis non foſſis, aut propugnaculis, ſed trophеis muniuit; in quo Gallorum exercitus, magnam Italiæ partē peruagatus, ſtetit, & cum morte ſoceri Neapolitanorum amiſſum fere magnum ſuſtinuit, antiquæ inſitus familiæ, ut duabus illa nixa radicibus & altius creſceret, & felicius

 pullularet,

pullularet, nouum decus, noua ſpolia, noua trophea per ſe patremq; ſuum tota parta Italia tantæ uetuſtæ gloriæ accumulauit. Grauida mater, acceptorum à Deo beneficiorum non immemor, quoniam auguſtum quiddam in utero ſeſe geſtare ſibi uiſa eſt, annuente uiro quicquid peperiſſet Deo dicauit, Hippolytoq; nomen indiderunt. Per ætatem dum licuit, uix dum primis informatus literarum elementis, ſupplicibus Deum adorare uocibus exorſus eſt, neque ullã rem prius, quàm ſacras laudes, quæ Deiparæ uirgini ſtatis horis cantantur, memoriæ mandauit: cumq; præter docilitatem ſuauitatemq; multa modeſtiæ ingeniiq; ſigna præſeferret; itaq; eſſet educatus, ut parentibus reſponderet; ne domeſticis deliciis emolliretur, ſub duris ſeuerisq; magiſtris bonis artibus accuratam cœpit operam impendere; quod erat reliquum temporis, uenationi tribuebat; qui dignum principe homine id exercitationis genus eſſe intelligeret, in quo deſidiam omnẽ excuteret, uitæq; ſuæ curſum in labore corporis, atque in animi contentione conficeret. nam diluculo ſurgere, frigus caloremq; ferre, curſibus acitineribus defatigari. & animo præſenti ac forti, ingenioq; apprimen callido eſſe uenatores aſſueſcunt; unde corporis firmitas, ſenſuum uigor, ſerior ſenecta, laborum patientia, auocatioq; à uoluptatibus proficiſcitur. Et ſane iuuentus procax, & in libidinẽ natura prona, niſi laboribus aſſiduis honeſtisq; uoluptatibus, ac laudabilibus ſtudiis occupetur, in deterrima quæque labatur neceſſe eſt. Hinc cum Lacedæmonii ipſi, tum Parthi, penes quos educandorum liberorum ſumma laus fuit, iuuentutẽ uenatione certatim exercendam curabant. quod ſane niſi recte fieret, non diuini uates, naturæ fidi interpretes, heroas fere omnes uenatores fuiſſe ceciniſſent, neque uenationem, qua Chironem propter eius ſummam iuſtitiam, unde mox ad mortales defluxit, donatũ ornatumq; ferunt, Diis acceptam retuliſſent. In hoc igitur exercitamenti genere Hippolytus perpetuo uerſabatur: neque ullum omnino poſt literas præſtantius, nobiliq; uiro dignius inuenire potuit à curis

curis cogitationibusq;, quæ cor exedunt, auocamentum, quàm uenationem. Atque his quidem moribus imbutus, ætate adhuc non omnino adulta, ad Mathiam, Pannoniarũ Regem, proficiſcitur: à quo & in filium adſcitus, & Strigonienſis Archiepiſcopatus dignitate illico honeſtatus; atque adeo benigne, honorifice, amanter exceptus eſt, ut nemini dubium relinqueretur, quin, cum primum per ætatem liceret, in regnum cooptaretur. Secutus non ita multo poſt atrox ille Mathiæ Regis caſus, qui plus miſeræ Chriſtianitati cladis attulit, quàm plerique, Chriſtianarum rerum ignari, opinarentur. Pax erat tunc in Germania, tantaq; Principum concordia conſtituta, ut cum ſuis quiſque finibus contentus uideretur eſſe, ſi quis paulo pedem proferre tẽtaſſet, de repente in illum cæteri omnes inſurgere non dubitarent. pacis autem qui fuerat auctor, idem ſe patronum, & uindicem ferox natura & bellicoſus Mathias ſeſe præſtabat. illo uero è medio ſublato, cum nutare cœpiſſent res Italiæ, ac non nulli Principes ad Mediolanenſem ditionem animum adiicere, factiones diſcordiasq; alere, odia nutrire, ipſe ſe in Italiam retulit. Iam in tanto rerum tumultu operæpretium eſt uidere, qualem Hippolytus ſe, nondum corroborata ætate, præbuerit, & quod primum de ſe aduerſis in rebus periculum fecerit. Hæc enim cum audiſſet Ludouicus Sfortia, Inſubrum & Ligurum Dux, ſummo ſtudio ad ſe illũ accerſiuit, atque, ut ad Cardinalatus proueheretur dignitatem, non multo poſt omni ſtudio atque ope curauit. Mirũ dictu, ut ab omnibus amari, obſeruari, coliq; Mediolanenſibus cœperit. illi plauſus maximi, illi conſalutationes perhonorificæ, ſigna ad hæc beneuolentiæ permulta impertiebantur. ad illum plebs, ad illum negociatores, ad illũ nobilitas cõfugiebat, tanta frequentia, ut omnibus pateret, ſi omniũ eſſet ſuffragiis gubernator deligendus, neminem plura Hippolyto puncta fuiſſe laturum. Ecce magna rerum mutatio. nam Galliarum Rex Ludouicus, magna Heluetiorum, & aliarum gentium manu coacta, cœpit Inſubriam inuadere,

unus tamen, cum omnia labarent, Hippolytus deterreri nõ potuit, atque ita cauſam ſuam probauit, ut Rex ipſe fortitudinem Hippolyti nõ ſolum admiraretur, ſed etiam dilige ret. idemq; moderatione animi tanta in illius belli uarietate uſus eſt, ut & Regi uictori, & Venetis uictis ſatisfaceret. Patris obitu, coactus Mediolano cedere, Ferrariam petiit, non aliter, quàm ut cælo delapſum exceptum ferunt Palladium fabulæ. uoces primo lætantium oppreſſerat miraculi magnitudo: mox erumpente lætitia, uirgines, pueri, ſenes, omnis ordo, omnis ætas uiſendi ſtudio ruebat circunfuſa, præſaga quaſi belli uenturi, & uictoriæ. nam Veneti inſtructam claſſem Pado inducere, omnemq; agrum Ferrarienſem flamma, ferro, excidioq; deuaſtare. quo in diſcrimine Alphonſus frater, tanto nuncio perterritus, hæſitare, confundi, terreri interdum pro magnitudine rei cœpit. quid enim aliud, omnium ſtudiis perſpectis, agat? nunc cuſtodes, nunc exercituum præfectos incuſare, modo inſidias, modo defectiones, modo uim ſubuereri, ſuſpitionis plena denique omnia habere. unus Hippolytus, erecto animo, belli grauem illam molem magna fide, conſtantia, uirtuteq; ſuſtinuit. nam metuentes animare, fugientes retinere, omnes hortari publice, priuatim ſaluti ciuium conſulere, arma expedire, milites conſcribere, plebem ad ſigna uocare, tormenta diſponere, hoſtem ferocientem coercere, nec ullam omnino quietem capere, donec eam uictoriam Alphonſo fratri, ac patriæ dederit. Quod ego factum omne hic libens prætermitto, quoniam ad recentiorem hiſtoriam, motusq; Italicos res ipſa me uocat: qui mihi uidentur ſorte quadam Hippolyto contigiſſe, uirtutiq; eius ampliſsimum campum patefeciſſe, ut animi, conſilii, fortitudinisq; exercendæ occaſionem haberet uberrimam. Merito enim magnifica illa Demetrii uox celebratur, nihil eo uideri infelicius, cui nunquam quicquam euenerit aduerſi. languet enim, & quodam modo putreſcit ſine aduerſario uirtus ipſa: quæ profecto, Patres optimi, fortiſsimum quenque periculis, calamitatibus,

mitatibus, aduerſisq; caſibus obiicit. Deus id quoque ſibi habet pulcherrimum ſpectaculum, ut quorundam eſt opinio, uidere fortem uirum cum aduerſa fortuna colluctantem, nunc hoſtes à patria expellere, tormenta ſuperantem, terrores periculaq; omnia contemnentem. Ex hoc genere fuiſſe illos arbitror ueteres Mucios, Regulos, Rutilios, Fabricios, Metellos, & præterea ſexcentos, qui, magnis ex periculis, animi præſtantia ingentem ſunt gloriam conſecuti. Sed quid ego diutius de Hippolyto ſileam? cur non potius ad eius res, in omni uirtutum genere excellentes, orationem meam conferam? non enim illius uitæ curſum, propter hominis claritatem, ſummæ dignitatis amplitudinem, uarietatemq; fortunæ nemini non cognitum, ſine magna culpa licet prætermittere. Vexabat Iulius ſecundus Pontifex totam Italiam, Venetorũ, Florentinorumq; Reſpublicas oppreſſerat, Gallosq; ex Italia eiecerat, Alphonſo non nullis oppidis ſublatis, adeo ut de ſumma rerum dubitaretur. in hac tanta multorum calamitate mirum dictu quàm ille infractus animo, diuini ingenii, conſilii, uirtutis magnitudine fretus, ſua ſponte, eximiaq; fortitudine, ſine tormentis, ſine exercitu, ſine ullis copiis, clauum patriæ, ueluti gubernator, optimus uigilantiſsime rexerit, ac ſuſtinuerit. O felicem artem poeticam; quæ res geſtas ornare, amplificare, in maiusq; ualet extollere. quem illa campum in Hippolyto uel bello, uel pace nacta foret. quocunque enim tuliſſet gradum, ſequi populus uniuerſus, circumcurſare, procedere, uias denique, uix anguſto tramite relicto, obſtruere, ad bellumq; gerendum non modo uectigalia, tributa, delectusq;, ſed præſens aurum, mundum muliebrem, ſupellectilem, & ipſa libera uenum corpora offerre. Hæc uera ſunt, Patres, atque cõſpicua fortitudinis exempla, non fucata, non ambitioſe quæſita, neque, quod ſolent pictores, ut magis lucida ſplendentiaq; reddant opera, obſcuris tenebricoſisq; coloribus inumbrata. Conferat, quæſo, ſi quid habet uetuſtas quod præferendum putet.

tet. plenæ ſunt aures Horatiorum, Scipionum, & Fabiorũ, quòd hoſtes, patriam petentes, repulerint, eamq; liberam ſeruauerint: ab Hippolyto domus, ciuitas, patria conſilio, uigilantia, fortitudine ſunt liberata: ut ueteres illos adæquaſſe, ne dicam ſuperaſſe uideatur. Accedebat diuinum quoddam ingenium, ac mira quædam perſuadendi opifex prudentia, necnon, ſiue Deus, ſiue mater, ut ita dicam, rerum ipſa Natura dederit, uis quædam incredibilis ad Principum animos alliciendos, ac deuinciẽdos, ut ſtatim quemuis mortalem uel hoſtem ad ſe amandum potuerit adducere. nec enim illo ſane alter erat uſu naturaq; acutior, qui'ue rectum profundiori mente ſulcum duceret, ex quo ſapientia, ut ait Pindarus, conſilia pullularent: aut qui ſagacius ſimul, ut uelle cœpiſſet, occultas hominum uoluntates perueſtigaret, ſententias exquireret, iudicium eliceret, res conſideraret ipſas, earumq; curſus, ac futuros euẽtus proſpiceret. prudenter diſponere, docte gubernare, nullo ne repentino quidem rerum caſu opprimi, non obſcuris falli, nõ dubiis torqueri, non intricatis impediri, memoria rerum innumerabilium, coniectura uero prorſus admiranda, ut quæ non multum à diuinatione differret. Age uero, quàm mirus, ubi res poſtularet, diſſimulandi artifex; quàm peritus, uultu tegere, & taciturnitate celare, quæ uellet; quàm doctus, fingere ſe ſcire, quæ etiam ignoraret; quàm denique eruditus, ipſis tempora rebus accommodare. Multa mihi quidem ad has omnes eius uirtutes exempla occurſant, quibus manifeſto oſtendere poſsim illuſtriora ampliora q; eſſe omnia, quæ à me dicantur, & infra rem eſſe orationem meam. ſed non decet, non expedit, non licet. uoſmet cum animis ueſtris conſiderate, hoc toto decennio, quo tantum de Italorum imperio diminutum eſt, qualis, quantusq; fuerit Hippolytus; quot aliorum errata, auctoritate, conſilioq; neceſſe illi fuerit emendare, quot artibus diuerſa ſentientes in ſuam ſententiam allicere, quanto ſtudio dubios retinere. quòd ſi illi præſcripta lex non fuiſſet, nutumq; alterius

rius non obſeruaſſet, nec aliena, ut ita dicam, ſententia res conficere coactus eſſet; eſſetis fortaſſe Eſtenſes illuſtriores, imperiiq; ueſtri eadem, quæ olim, magnitudo ac dignitas eſſet. Senſit tamen Ludouicus, Pannoniæ ac Bohemiæ Rex, miſeræ ſpes altera Chriſtianæ gentis, dignus orbis terrarum imperio, qui ſocium hunc ſibi, hoc eſt unicum feſsis rebus auxilium, aſciuit; & quaſi cum eo communicato regno, partitaq; expeditione, ut ipſe armis, ille conſiliis hoſtem propelleret, qua ſecuritate, qua gloria lætus, non ſecus ac fratri innixus, ſuo robore, huius prudentia inualuit, preſertim cum Budæ inter ſe Nobilitas, Palatinatum appetens, diſſideret, qui ſummus poſt regiæ maieſtatis dignitatem magiſtratus eſt, tanta orationis copia, & conſilii magnitudine excelluit, ut unam atque alteram factionem ad concordiam reuocarit, eaq; hominum armatorum multa millia legem conditionemq; ab ipſo Rege coegerit accipere. Poſtremo, cum Turcarũ Imperatoris copias innumerabiles appropinquare audiuiſſet, undique omnia ſubuerti, populis communi terrore perculſis, non ille tantum animos omnium ad tutandam prouinciam reuocauit, priſtinamq; eis fortitudinem reſtituit, ſed Belgradum, multasq; ad Saui, atquæ Iſtri fluminis arces poſitas, accuratiſsime quibusuis munitionibus adhibitis, inexpugnabiles reddidit. At quanto temperamento poteſtatem illam, dignitatemq; Cardinalatus moderatus eſt, cum Diaconorum ordinem ampliſsimum decurio duceret, atque in Vaticana Baſilica ſacerdotum præfecturam adminiſtraret populo Romano, qui omnẽ ſpem in eo Principe ob ingenii acumen & rerum gerendarum præſens conſilium collocarat? Adeo nihil in uita expetendum putauit, niſi quod eſſet cum laude, & dignitate couiunctum. Ita magnus ſemper fuit, ut, cum ipſe ceteros reuereretur, ſine diminutione maior eſſet, nec, quos æquales ſibi exiſtimaret, deprimeret, nec melioribus inuideret, nec humiliores contemneret; ſed hos ornaret, illos uero ingenti honore proſequeretur. Cumq; eſſet tanta poteſtate Cardinalicii ordinis, quantam

quantam ego quidem aut uiderim, aut legerim: neminem tamen illius potentia afflixit, neminem fortuna debilitauit, neminem magnitudo oppreſsit, nemo illius dicto aut liberiore ioco petitus, nemo acri reſponſo reiectus, nemo ne eorum quidem, qui ei miniſtrarent, non modo non inclementer acceptus, ſed ne aſpere quidem increpitus. Pericles, quem Olympum uocant poetæ comici, quòd eam in dicendo uim haberet, ut tonare in concionibus, ac fulmina emittere uideretur, cum animam ageret, amiciq; circunſtantes dolore affecti, illius trophea, uictoriasq;, quòd nouies pro patria proſpere pugnaſſet, celebrarent; cubito ferunt innixum ſuccenſuiſſe illis, quòd communia ſibi cum multis, fortunæq; potius, quàm uirtutis, opera laudarent; id uero, quod maximum pulcherrimumq; in ſe fuiſſet, prætermitterent; quòd ſcilicet eius cauſa nemo unquam Athenienſium pullam ueſtem induiſſet. At hoc quanto rectius licet in Hippolyto gloriari, qui non modo non inducendæ ueſtis pullæ, ſed ne iraſcendi quidem aut indignandi cuiquã iuſtam occaſionem præbuerit? quippe qui probe didiciſſet ſeueritatem pari iucunditate condire, grauitati comitatem adiungere; ut adeuntes facile, comiter, benigne excideret, nec ipſius auctoritas facilitate, nec aliorum amor grauitate decreſceret. fronte, uultu, ſermone, oculis occurrebat: nec, ut multi ſolent, ſellæ affixus manum tantũ, & hanc cunctanter pigreq; porrigebat. quod non tam in eo laudandum duco, quàm illos improbandos, qui effecerunt, ut hæc iam laudanda uideantur: cum paucis omnino contingat affluere fortuna, & iiſdem arrogantia carere. Ac mihi quidem non tam eius in excipiendo humanitas, quàm in audiendo attentio admirabilis uidetur. non enim oculis, non uultu, non manu, non denique toto ipſo corpore aliud agebat. dabat aures attente: percũctabatur ſæpe: ſæpe etiam dicta colligebat: ut aliquanto plus in illo audiente attentionis, quàm in te ipſo dicente, poſſes agnoſcere. Iam uero, quanta inerat in reſpondendo dignitas, quanta grauitas, quanta

quanta ſuauitas, ſententiarum uerborumq; ingens pondus, ſententiæ neque leues, neque de communi hominum opinione, ac ſenſu ſumptæ, ſed graues, tanquam de media prudentiſſimorum ac prope doctiſſimorum uirorum porticu depromptæ. Cum uero illius oratio breuitatem grauitatemq; regiam contineret, ab omni quoque fuco procul eſſet, minime tamen aut obſcura, aut aſpera, aut ieiuna uidebatur, ſed illuſtris, integra, periucunda, multarumq; rerum grata quadam uarietate diſtincta, atque mira urbanitate conſperſa. Ipſe autem, ſi quid à quopiam peteret, iis utebatur uerbis, ita blandis pariter atque honorificis, ut non dare te illi beneficium, ſed accipere ab eo ita petente iudicares. quodq; de multis ſæpe falſo circunfertur, neminem unquam triſtem dimitti ſolere: nemo eſt omnium mortalium, in quem hoc magis, quàm in Hippolytum, conueniat: qui, ſi quando re aut opera non poſſet, emori pene mallet, quàm non ſuis illis officiis, ſuauiſsimi ſtudii plenis, omnino ſatisfacere. Non dico, quemadmodum perſonam Alphonſi fratris tutatus ſit, ut non ſolum animis, ſed oculis etiam omnium, habitu, ſtatu, inceſſu, ſeſsione ſeruierit. Mitto, ad tantum euectus gradum quàm procul ab omni fuerit æmulatione, contentione, oſtentatione preſertim ingenii: quæ quàm iucunda, tam præceps inconſultaq; ſolet eſſe. Nec illud commemoro, ſecundis eum rebus nihil de prioris uitæ moderatione manſuetudineq; immutaſſe, aduerſis nihil item de auctoritate, firmitudineq; animi decedere paſſum eſſe. Taceo domeſticum ſplendorem, hominis uirtuti ac dignitati reſpondentem, uitæ cultum cum elegantia & copia. Commemorare nolo frugalitatem & gubernandi rationem. qua uirtute licet Principes ornari non ſoleant, qui ſi iuſti, fortes, ſcueri, magnanimi, graues, largi, beneſici, liberalesq; ſint, priuatorum hanc laudem non amant: nulla tamen res compoſiti animi tam index eſt, quàm domeſtica diſciplina; ex qua etiam facillime perſpiciatur, cui potiſsimum ſumma rerum tutius credi poſsit; cum, qui ſe

ipſos, ſuamq; familiam, nulla ratione adhibita, negligunt, ſine dubio ad regendam rempublicam inepti plane uideantur eſſe. Hippolytum autem(quis credat?)inter tot negocia, quibus nemo unquam noſtra tempeſtate plura maiora ue geſsit, aut exercere potuit, in re domeſtica, tanquam opti mum patremfamilias, diligentiſſimum, atque accuratiſſimum fuiſſe laudare poſſumus. Sed quis tam, obſecro, eloquentia polleat, cuius tam larga felixq; dicendi copia, quæ tantum hoc ingreſſa pelagus, laudum numero circumuenta, exitum non deſperet, aut, ſplendore præſtricta, quò uentus & unda agat, cæcutiens non feratur? Ignoſcite igitur, Patres, ſi multa prætereo, ſi non deligo, quæ maxime excellunt, ſi non ago oratorio more, ſi denique non ſuo quæque loco à me collocantur. dum enim cogito, quidnam pro expectatione ueſtra, & magnitudine rerum dignum eloqui poſſim; dum aliud mihi ex alio occurrit; dum optimum iudico quicquid præterierim: (quando præterire multa, ex infinita pene copia, neceſſe fuit) inde factum, ut me oratio, materq; ipſa orationis diſpoſitio deſtituerit. An ego illius cogitans pietatem, cum ſummo Deo ſeſe à puero uouerit, derit, dicauerit, alieni ſe abſtinentem præſtiterit, ſtatis horis laudes, precesq; ſuas nunquam præterierit, pauperes iuuerit, ſacras cæremonias, atque Pontificia miniſteria ſic tenuerit, ut nullam aliam rem cogitare, didiciſſe, feciſſe unquam uideretur; quot pro Alphonſo fratre, quot pro patria ærumnas ſuſtinuerit; quantam auri uim profuderit: an hæc, inquam, cogitans, ad alias ſimul eiuſdem laudes, quæ menti occurrunt plurimæ, animum adiicere, easq; pro cuiuſque dignitate oratione poſsim explicare? Audiuimus multos in hoc Cardinalicio ordine magnos uiros fuiſſe: ſed audiuimus tantum. dicuntur multi de pauperibus benemeriti, ſed dicuntur duntaxat. legimus multorũ ad ſacros uſus largitiones, ſed legimus tantummodo. hunc uero noſtris oculis uidimus, ſenſimus, experti ſumus, non famæ, non moribus, non hiſtoriæ, ſed noſtro iudicio, noſtris ſenſibus, nobismet ipſis

bismet ipſis credimus. Itaque celebrent in illo alii iuſtitiam in populis gubernandis, quòd neque crudeliter quidquam eripuerit, nec leuiter remiſerit. laudent illum alii in Pannonica Legatione ad Mathiam; alii in Bononienſi ad Leonem X. admirentur; alii uero, in magiſtratus ſui adminiſtratione quàm parce potentia ſit uſus, quàm ſancte ſeruari leges uoluerit. me quotauis illius iuſtitiæ portio adigit, ut in ea una, quæ campum mihi dedit ampliſsimum, prætermiſsis ceteris excurram. Quàm multis illum uiduis, quàm multis pupillis opem tuliſſe, quot uirginibus dotes dediſſe, quot miſerorum inopiam ſubleuaſſe, quot exulum miſeriis opem tuliſſe, quot nobilium egeſtatem ſuſtentaſſe exiſtimatis. quin & legem quandam ſibi non ambitionis, ut multi, ſed pietatis cauſa indixerat; ut quodam quaſi uoto teneri illum iudicares. Puellis maritandis, & publicæ ſodalitati, ad id opus inſtitutæ, multum dedit, & priuatim multum contulit; neque annum prætermiſit ullum, quo non dotes ſupra decem perſolueret. Nec minori templa, xenodochia, quæ hoſpitalia appellamus, liberalitate proſecutus. quæ facile laterent, ſi uno tantum in loco geſta eſſent: ſed quia in Pannoniis, Mediolani, Romæ, Ferrariæ ante omnium ora geſta ſunt, propterea tum ad noſtram, tum ad omnium mortalium notitiam peruenerunt. Quis hæc audiens, Patres, tamq; amplam largitionem intelligens, non illum credat ceteris impendiis peperciſſe, ut huic uni poſſet rationi ſufficere? Ipſe autem cum ueræ liberalitatis, quæ inchoata abſiſtere neſcit, omnes articulos teneret, optimeq; ſciret, ubi opus eſſet, parcere, &, ubi res exigeret, effundere, integras ſæpe Legationes hoſpitio accepit, Duces, Reges conuiiis, apparatu, ludis, ſpectaculis honorauit; nobiles, & in quibus aliquid antiquæ ſtirpis, reſiduæq; uirtutis ac nobilitatis eluceret, fouit, excepit, amplificauit: familiam tantam aluit, atque remuneratus eſt, quantã uix alius unquam præter prædia, & ſacerdotia, ceteraq; multa, quæ largiſsime in uſus quotidianos elargiebatur, cũ præſenti auro, tum

magiſtratibus, partim emptis, partim, quorum uendendi poteſtas penes ipſum eſſet, donatis. familiæ ſupra quinquaginta aureorum millia largitus eſt. Aedificent alii palatia, moleſq; ſaxeas in cælum ferant. ſuum alii genus, accumulatis diuitiis, cum ſumma nobilitate certare contendant. alii uero incumbant theſauro, & ſoccis etiam habeant auro ſuppactum ſolum. nullum eſt magno Principe, immortalitatem exoptante, impendii genus dignius, quàm quod erogatur in egentes, in Deum colendum, in familiam commodis augendam. Nec defuit tantæ uirtuti ſuus honos. contigit enim illi, quod haud ſcio an alteri noſtra tempeſtate, ut tanta poteſtas non modo non odioſa, ſed etiam grata, populariſq; haberetur. itaque nemo unus uni homini tam carus unquam fuit, quàm hic humano pene generi uniuerſo. Nam quid ego de populi in eum miro amore dicam? ſed detur hoc patriæ, detur generi, detur parentibus. Mediolanenſes non ne extremam ſortem pro illius nomine, quod apud illos numinis loco colebatur, adire uoluerunt? Quid uero tua illa, Hippolyte, ad urbem Romam profectio? cum omnis ordinis, omnis generis, omnis denique fortunæ infinita pene frequentia obuiam ſe ferret; omnis Flaminia uia, omnis Campus Martius, tota denique urbs facibus per luceret; tuumq; nomen, clamoribus populi ingẽtibus repetitum, Tiberis ripæ, ipſi ſeptem colles perſonarent; tectaq; ipſa pene ſeſe commouerent. ſiue enim in communi gaudio ciuitatis uenienti gratulabantur, magnum iudicium: ſiue tui cupidi uidẽdi progrediebãtur, eo maius. ſin utrunque, quid omnino potuit magis honorificum excogitari? Quid illo acerbiſsimo obitus die? an non tota urbe, ut mæror publicus ſic publicum iuſtitiũ fuit? Nam de familiæ in eũ amore, ſtudio, fide, pietate quid opus eſt multa narrare? familiæ, inquam, illius infelicis, quæ non lucra, non munera, non beneficia, ſed ipſum Principem pro pretio complexa, rara illa fidelitatis exempla, à paucis ſapientiæ profeſſoribus tantum aliquando ſeruata, intermiſſa iam, & uetuſtate prorſus obſcurata,

ſcurata, propter unum Hippolytum in lucem reuocauit, per tela, per hoſtes, per omnia uitæ diſcrimina illum ſecuta, nullos labores, nulla itinera, nulla pericula declinauit: ut etiam ſi uitam pro illius dignitate profudiſſet, nullam partem uideretur illius meritorum aſſecuta. Quid Principum erga eum ſtudia commemorẽ? Nihil dico de Leone X. Pontifice optimo, nihil de Iulio II, nihil de Regibus Neapolitanis, quàm comiter eum, quàm honorifice, cum res illorum ſtarent, exceperint. In Pannoniam cum ſe recepiſſet, tanto ab inuicti animi Mathia, Ludouicoq; Regibus, proceribusq;, natura alioquin aſperis, in honore habitus, ut ne præſenti quidem Pontifici maximo maiorem natio etiam religioſiſsima exhibere poſſet. Quid in Sarmatia à Sigiſmundo? non ne ille, immo uero certatim Reges omnes, qui Chriſtiano nomine cenſentur, pro illius dignitate egerunt? & illic potuit ne quiſquam aut ab ipſo Rege, aut ab omni nobilitate ſtudioſius unquam obſeruari? De ueſtro autem in eum amore, obſeruantiaq;, Patres, quod apertius quæram argumentum? extat in uultu cuiuſque ueſtrum mæſtitia, & in frontibus animorum iudicia perleguntur. uos quidem ipſi teſtes uobis eſtis, quantum illi tribueritis. Quid illi poſtremo maius potuit contingere, quàm Alphonſi fratris eximia pietas, tum in omni uita, tum uero eius maxime obitu declarata? nam, ut præteream, quæ uiuenti ſæpe officia præſtitit, quantoq; ſtudio coluerit, in eo nunc & laudando, & ornando minime defatigatur. familiam remunerat, ſacellum dedicat, ſepulcrum erigit ingens, nobile, dignum Hippolyto, dignum quod ab Alphonſo Principe Hippolyto fratri fiat. C. Iulio Cæſari Dictatori, cum Cn. Pompeii deiectas ſtatuas reſtituiſſet, M. Tullium Ciceronem dixiſſe ferunt: Dum illius reſtituis, erigis tuas. Cur non ego hoc apud te uſurpem, Alphonſe Princeps; qui tantum Hippolyti fratris memoriæ conſulas; cum hæc tua, ut uno complectar uerbo, bonitas in Hippolyti monimentis æternum ſit trophæum habitura? Quid dignum magnitudine iſta animi tua tibi

tibi precer, aut quid iſti optem tam pio, tam ardenti, ac uere fraterno amori ? Det tibi, quam mereris ætatem, ſummus Deus. nam ſi det quam uelis, minus tamen, quàm & ipſi cupimus, & tuæ uirtuti debetur, profecto det. ſeruet idem Deus quem dedit animum : ſemper bene facias, neque in eo aut animus tuus, aut fortuna langueſcat, felicitatemq; tuam ſummam eſſe ducas, feciſſe felices. Te uero, Hippolyte, quæ tam ſubito miſeræ Italiæ importuna mors eripuit ? quod fatum extinxit ? quæ infelicitas oppreſſit ? quis ergo illius libertati ſtudebit ? quis in tanto naufragio diſiectæ nauis clauum tenebit ? quis ſtudia bene fortiterq; ſentientium accendet ? quis audẽtibus ducem ſe præſtabit ? Huccine Regia illa Boiorum, unicum cum uirtutis, tũ ſanctitatis, ſeueritatisq; præſidium, huccine terror ille familiæ tuæ decidit, qno ſemper Barbaria omnis intremuit? O prouinciam Italiæ quondam ocellum, nunc meram lippitudinem. o miſeros populos, o infelices, qui te uno nitebantur, in tua unius ſpe requieſcebant, nullos caſus pertimeſcebant ; quibus omnis calamitas te uiuente leuis uidebatur ; quòd minime uererentur, quin tuis conſiliis, tua ſapientia, ac uirtute omnibus caſibus, atque infortuniis uendicarentur. Iſta mors uaſtitatem agris, ſolitudinem urbibus, exitiũ gentibus attulit. Iſta mors nouos in Italiam adduxit exercitus. Iſta mors iugum Italiæ impoſuit. nunc denique ſentiunt ſeruire ſe populi, quibus nulla reliqua ſpes libertatis te mortuo remanſerit ; ſed magis ſentient in dies, cum te magnæ res, ingentesq; occaſiones, ac neceſſitates poſtulabunt. De te enim omnibus moleſtiis liberato, omnibus anguſtiis erepto, omnibus iam periculis exempto, quid dicam aliud, niſi tecum actum eſſe feliciter, qui noſtro æuo uirtute animi, ac magnitudine, magis quàm euentu rerum, felix, exemplar ueræ fortitudinis, prudentiæq; fueris, ita ut cum quolibet antiquorum tuas uirtutes reliqueris comparandas. Pugnaſti cum fortuna maximis ſuffultus tuarum uirtutum auxiliis ; à quibus plus accepiſti dignitatis gloriæq;, quàm

quàm abs te illa bonorum ſuorum abſtulerit. Præſtitiſti patriæ non minus certe, quàm debueras, plus profecto, quàm aut aliquis unquam præſtiterit, aut ab aliquo ſit ullo unquam tempore poſtulatum. Tu quidem unus noſtra tempeſtate inter mortales natus es, qui in ſumma poteſtate ſumma moderatione ſis uſus. Itaque uirtus tua nunquam intremuit, nunquam prudentia hæſit, nunquam iuſtitia claudicauit : probatus patriæ, iucundus amicis, carus tuis, omnibus denique gratus. te cognati ſtudioſum neceſſitudinis, te familiares beneficum, te bene meriti memorem, te iniuria preſsi auxiliatorem, te periclitantes ſeruatorem, te uirgines patrem, pupilli tutorem, pauperes elargitorem, templa inſtauratorem, xenodochia adiutorem, ſacerdotia paſtorem, cæremoniæ, miſteriaq; Pontificem ſenſerunt, ac re ipſa cognouerunt. Tu populis, patriæ, principibus, Regibus carus, ac iucundus : ipſi tibi pariter cariſsimi, tuisq; beneficiis ornati nunc tuum obitum iniquiſsime ferunt. Habes denique tanti fratris teſtimonium, ex quo cineres oſſaq; tua quaſi quodam ſolatio fouentur. ſi non ſpiritu inter nos, ſaltem uirtutis laude uiuis, æternumq; uiues. Habes, quod homini dari poteſt maximum, gloriam, ac laudis æternitatem. neque tam ſaxis, quàm monimentis perpetuæ laudis, tuum nomen incidetur ; ornatusq; ueriſsimis laudum titulis hominum memoriæ traderis ſempiternæ. nec erunt tam ingratæ literæ, ut de te non perpetuo loquantur, tuam gloriam immortalitati non conſecrent : nec tam iniurioſa poſteritas, ut te non in primis, tot expreſſum imaginibus, cognoſcendum exiſtimet. illa te mirabitur, illa ſola uirtutum incorrupta teſtis laudabit. Principes imitabuntur, imitandumq; ſuis liberis proponent. te in omnibus concionibus oratores memorabunt. tua ſemper grauitas, tua fides, tua conſtantia, tua probitas, tui mores, tua in republica tuenda cura, atque prudentia omnium mortalium ſermonibus ac fama celebrabũtur.

Nec

Nec uero admirabilis illa, ac incredibilis, planeq; diuina uis ingenii tui, magnitudo consilii, tolerantia rerum humanarum, robur animi excelsi unquam silebitur. Postremo omnes Italiæ nobilitatem, auctoritatem, libertatem, quæ te uno nitebantur, hæc pene omnia tecum sublata, & tanquam consepulta simul interiisse fatebuntur.

ALPHONSI FERRARIENSIVM DVCIS III. LAVDATIO.

MISERAM profecto, multisq; obnoxiam in primis esse calamitatibus mortalium uitam, nemo est, qui non quotidie uel suis casibus, uel alienis doceatur euentis. Ac tu quidem, Hercules Princeps, cum & græcas, & latinas historias peruolutaueris, humani generis conditionẽ unus optime omnium, pro tui iudicii præstantia, cognouisti. uerum quæ te doctrina, quænam antiquitatis obseruatio magis, quàm tuorum funera, de communi omnium, qui hanc in lucem editi sunt, infelicitate potuit erudire? certe tua uirtus, quo maiores ei tenebræ circumfunduntur, eo clarius elucet. non enim luctus domesticus, è creberrimo tuorum interitu susceptus, animi tui uim afflixit. pugnasti semper cũ fortuna, eamq; tuis optatis aduersantẽ egregie superasti. Sed exclamandum est in parentem omnium naturam, quæ nos odio potius nouercali, quàm materno amore prosequitur. cuius æque si quando bona ac mala pendere uelimus; inueniemus, nihil propemodum homines à ceteris animantibus differre, immo potius deteriori statu procreatos esse. nam etsi mentis ac rationis munere uidentur excellere: tamen hæc prærogatiua prodest illa quidem interdum, sed, ut usu compertum est, & sæpe, & uehementer obest. quis enim, quæso, sua mala libenter admittit? quis æquo animo perniciẽ, & ea, quæ plurima homini contingunt, incõmoda, ceruici suæ sentit atque intelligit imminere? quæ quoniã in cognitionem nostram cadunt, maiore iccirco dolore afficimur, grauioremq; tristitiam animo ac mente concipimus. quo fit, ut omnem uitæ nostræ cursum in labore corporis, atque in contentione animi peragamus. quis enim illius incredibiles uigilias & labores, huius admirabiles curas ac dolores exponat? Excidia, ruinæ, iacturæ, naufragia, cruciatus, exilia, & cetera, quibus ipsæ animi ægritudines pa-

 riuntur,

riuntur, ex huius genitricis noſtræ gremio uberrime in capita noſtra redundant. Et quaſi hæc illi parua ad calamitatem noſtram, miſeriamq; uideantur, quæ ſunt grauiſsima: illud extremũ, proh dolor, ac nimis horrendum firmiſsima lege ſanxit, ut ſemel homini ſit omnino moriendũ, & ex hac pulcherrima, rerumq; omniũ iucundiſsima luce diſcedendũ. O legẽ terribilẽ, & extimeſcendã; o teterrimũ immaniſsimũq; decretũ; o iugum aſperum, & intolerabile. Ad id ergo naſcimur, ut in tam amara, tam difficili, tamq; breui peregrinatione, fatorum arbitrio rapiamur? à quibus nulla uis auri, nulla imperii magnitudo, nulla uirtutis aut formæ gloria, nulla ſtemmata, nulla nobilitas quenquam exemerint. Tam impio decreto illud quoque adiectum eſt, ut huius neceſsitatis tempus ignoraremus, terminumq; ipſius migrationis ab oculis noſtris natura longe remouerit. nec enim illi curæ eſt, matura ne an immatura ætate moriamur: immo uias mille ingenioſa reperit, quo facilius ad tam grauem exitum delabamur, miſeri, quorum uita quandoque breuior eſt, quàm earum beſtiolarum, quas ait Ariſtoteles apud Hyppanim fluuium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, eadem die, qua naſcuntur, obire. Hæc uero licet dura, aſperaq;, & penè intolerabilia ſint, attamen multo difficilius atque iniquius pateremur, niſi pro certo haberemus, ſummum omnium rerum opificem id ita iuſta deliberatione conſilioq; conſtituiſſe. Quam quidem ſententiam, quoniam ſubterfugere neminem poſſe ſcimus, æquo tranquilloq; animo feramus neceſſe eſt, illiusq; nutũi pareamus, quem omnia elementa, & quæcunque creata ſunt, nulla controuerſia, reuerentur. quicquid enim corrigere nefas eſt, leuius fit patientia. Sed multi ceruicem à tali iugo ſe ſubducere arbitrantes, uana proteruitate animum inflati, ambitione, auaritia, ſuperbiaq; tranſuerſi aguntur. In quos recte illud à Poeta dictum eſt: O curas hominum, & quantum eſt in rebus inane. o ignaras hominum mentes, qui longas ſpes, et inanes curas ſuſcipiunt, quas deinde; præter

ter eorum opinionem, fallet euentus: quorum opera futura ſunt eiuſmodi, quales araneorum telæ, aut puerorum in compitis erectæ caſæ. nihil eſt enim in uita tam firmum & ſtabile, quod uno momento temporis non extinguatur. Præclare igitur ſanctiſsimus ille poeta Dauid fluxam & inſtabilem rerum humanarum conditionem exponens, ait futurum, ſi in altera libræ lance uanitas ipſa, in altera autem hominis ſtudium fuerit impoſitũ, ut ipſa uanitas longe multumq; præponderet. non potuit apertius hominum amentiam explicare: qui præclara cupientes, & eam deinde cupiditatem in res fluxas & inanes conferentes, turpiter irriſi, & æternis ignominiæ maculis aſperſi relinquuntur. Vt autem in turbato mari fluctus ipſos magnitudine & fremitu inter ſe diſpares ſubinde attolli, atque repente frangi cernimus: ſic in his falſis undis, & quaſi quodam humanarum rerum æſtu, alios extolli, atque repentino motu deprimi uidemus, alios uiciſsim ad eum locum aſcendere, unde ſint etiam ſtatim deiiciendi, ruinæq; magnitudine conterendi. Iam, quæſo, ad nos ipſos aliquando reuertamur; ut, nihil aliud nos eſſe, quàm puluerem, & umbram, intelligamus. Quæ quidem cum à Democrito ſumma cum prudentia animaduerſa, ac notata eſſent, huius humanæ uitæ curſum conſtanti animo deſpicere auſus eſt. cuius ut in dies maiori faſtidio teneretur, omnia urbis monimenta, ut ſepulcris legendis in memoriam mortuorum rediret, continuo inuiſere ſolebat. Nobis autem, qui Deum opt. Max. Chriſtumq; eius filium colentes, ſperamus fore, ut aliquando a mortuis excitemur, & regiæ eius beatitudine perpetua perfruamur, dum exitialem uoluptatum appetentiam, atque improbas noſtras cupiditates coerceamus, atque in horribili & tetra morte omnem noſtræ cogitationis aciem defigamus: (quo quidem nihil in homine uere pio ac ſapiente præſtantius, laudabilius, ſanctiusq; inueniri poteſt: ſiquidem Platonis præclara ſententia eſt, omnem ſapientis uitam mortis meditationem eſſe) nobis, inquam, quos recte factorum præ-

mia, ſcelerum ſupplicia manent, quid agendum eſt? hoc uidelicet unum, hoc quidem omni ſtudio, ut, quid futuri ſimus aliquando, interdum, atque adeo ſæpe meditemur. Sed, heu, non in Gyarem, aut aliquem in carcerem conditi aſſeruamur, non in ultimam Orchadum Thylem damnati ad tempus tranſmittimur, ſed eò relegamur, unde nunquã niſi extremo omnium iudicio poſt multa annorum ſæcula rediturí ſumus. Quæ res quantum inferre terroris mortalium animis debeat, ex eo intelligi poteſt, quòd nõ ſine ſummo honore commouemur, ſi quando morientem quempiam inſpicimus, lacrymisq; & gemitu communem omnium ſortem calamitatemq; ſignificamus. Hinc in amicorum, affinium, cognatorumq; morte mæſti dolemus, gemimus, & affligimur, & eo triſtiores ſumus, quo propius nos caſus ille attingit, & mortuum ipſum magis amamus. Et cum ipſius amici caſus per ſe ipſum nobis amarus moleſtusq; ſit, propterea quòd ab illius amicitiæ commercio diſtrahimur atq; auellimur, nihilominus noſtram quoque uicem dolemus, qui rem nobis cariſsimam iucundiſsimamq;, nunquam eam redempturi, amiſimus; eo quòd natura nos ad ſocietatem genuerit, ut alter alterius (quod etiam in beluis obſeruari cernimus) conſuetudine delectemur. ſic enim Hercules Philoctetem, Lælium Scipio, Oreſtes Pyladem, à ſuo nunquam latere diſcedere patiebantur. Quid illos in amicorũ funere egiſſe remur? Nam & Achilles non prius arma cepiſſe fertur, quàm mortem Patrocli audiſſet, cum ad id antea non Vlyxis adductus eſſet facundiſsima oratione, non Neſtoris auctoritate, non Phœnicis precibus, non regiorum munerum magnitudine, non cara Briſeide reddita. quodq; ab illo hæc omnia non impetrauerunt, expreſsit miſerandus amici ſuauiſsimi caſus, & ſubiti doloris impetus eximius. Quam ob rem, Hercules Princeps, quis eſt, qui dolorem tuum infinitum, atque incredibilem luctum in tam graui, tamq; omnibus deflendo caſu Alphonſi inuictiſsimi patris tui aut accuſet, aut miretur? nemo profecto eſt tam durus,

durus, aut humanitatis expers, qui id audeat. quin omnes potius communem calamitatem cognoſcentes tecum luctu publico gemimus, ac mæremus. Quid enim? non amicum, non familiarem, non ſocium, ſed heu patrem cariſsimum luges, & eum patrem, qui cum tibi natura carus eſſet, uirtute cariſsimus & tibi, & cunctis ciuibus, ac populis nunquam non fuit. ac neſcio, an ea, qua tu illis, pietate, atque obſeruantia patrem ſuum ullo tempore quiſquam coluerit, par tibi fortaſſe aliquis in animi mærore fuit, ſuperior certe nemo. Atque hunc luctum eo leniri difficilius eſt, quòd alieniore tempore hunc mors, in medio nimirũ gloriæ ſuæ curſu, eripuit, quam bello Rauennati, et paulo ante bello Veneto non mediocrem pro ætate ſua ipſe ſibi pepererat, qui non tantum Eſtenſium domus columen, ſed etiam totius Italiæ ſplendor extiterat. Accedit etiam grauior illa cauſa dolendi, quòd hic caſus antiquorum tibi uulnerum, & ſopitarum iam pene plagarum memoriam refricauit. nam in primis Alexandri Pontificis, aui tui materni, tum ampliſsima fortuna, tum conſilio et auctoritate merito Pontificis mortem in memoriam redigit, quem fere decem natus annos ex hac luce migrantem puerilibus oculis aſpexiſti; et Albertum Nicolai filium, animi magnitudine atque præſtantia, et omnibus iis, quæ ad Principem pertinent, ingſignem, nec multo poſt Alexandrum fratrem eius non ſine magno eorum, quibus præfuerat, fletu, mortuos ſuggerit. Et ut alia ſigillatim repetam, Cæſarem Borgiam, ipſius Pontificis filium, eundemq; auunculum tuum febre correptũ, cum ab omni impetu, omniq; iniuria et externa, et ciuili totam fere Flaminiam præclare defendiſſet, & Iſabellam ſororem patris, uxoremq; Franciſci Mantuanorum Reguli, forma in primis, ac moribus ornatam, quos ex hac uita decedẽtes prope puer ſenſiſti, in memoriã reuocat. Quid porro acerbius, aut grauius animo tuo poteſt obuenire, quàm id reminiſci, in quo egomet referens ſingultu lacrymisq; impedior? Lucretia Borgia, tua ſanctiſsima mater, cuius præ-

præclariſsimas laudes, & eximiam animi uirtutem referre, neque huius loci, neque mei, quod tenuiſsimum eſſe ſentio, ingenii eſt, ſingulari uirtutum copia, morum ac ſermonis grauitate, noſtri ſæculi matronarum uere Princeps interiit. Subticere ſtatueram Sigiſmundum, atque Cardinalem Hippolytum, patruos tuos, qui ſecundo loco commemorandi erant: ſed Ferraria, ſed Italia, ſed uniuerſa Chriſtianorum reſpublica, decennali dolore nondum deſinentibus lacrymis, tantam à me iacturam præteriri non eſt paſſa. Quanta autem Hippolyti uirtus ac ſapientia fuerit, facile inde intelligi poteſt, quòd eo uiuẽte, omnes Italiæ gentes, populi, Principes nexu quodam animorum iuncti, concordia, fœdere, amicitia in fide ac pace conſentientes & cõcordes quieſcebant, quòd eorum lites cauſasq; tanto conſilio, prudentia, auctoritate ipſe componeret, ut mutuis inter ſe diſſenſionibus depoſitis, in rebus omnibus ſine ulla diſcrepantia ad amorẽ beneuolentiamq; traducerentur; mortuo autem eo, rupta fœdera ſint, neglectæ pactiones, diſiectæ diſſolutæq; leges, iura peruerſa, è ſinu pax excuſſa, aperta belli ianua, emiſſus è limine furor, Erynnis ipſaq; Eumenides ab inferis excitatæ ſint, quæ ferro igniq; Italiam peruagantes omnem, cædibus & ſanguine impleuerunt.

Talem igitur uirum, cuius memoriam tuebitur poſteritas omnium ſæculorum, mortis iniuria, & huius excelſæ fortunæ inuidia in ſummo felicitatis faſtigio, cũm æterna uita dignus eſſet, oppreſsit. Poterat hæc omniũ grauiſsima moles fortiſsimi cuiuſque uiri animũ non ſolum frangere, ac debilitare, ſed ipſius Socratis Soloniſq; uiſcera præ dolore diſrumpere. quod in te procul dubio eueniſſet, niſi tu dignitatis tuæ, uiriliſq; animi partium memor te ipſum ab hoc indecoro officio uindicaſſes, tuaq; iuſtitia ac fortitudine prudentiſsime dolorem temperaſſes. quod ſane minime fuit à noſtra, omniumq; opinione diuerſum. uidimus enim te ſecundas etiam res moderate, admodumq; æquo animo ferentem. quo nihil eſt in ſummo Principe honeſtius, nihil inueniri

inueniri laudabilius poteſt. Nam in tanto rerum culmine, quò te iure hæreditario, tuisq; meritis Fortuna prouexit, nunquam animo elatus, ſuperbe quicquam aut intemperanter egiſti; ſed humanarum rerum non ignarus te humiliter, comiter, ſummiſſeq; apud omnes ſemper geſsiſti. Eandem expectationem, magne Princeps, in aduerſis ſuſtines: præſta te tui ſimillimum in funere parentis: tuam conſtantiam, tuam fortitudinem, tuam moderationem, quæ aliis exemplo ac documento ſunt, ipſe imitare: neque aut à philoſophia, aut ab hiſtoria conſolationem, & auxilium petas. ſummam habes in te ipſo uirtutẽ. eam ne in hoc tuo caſu languere ſinas: ea utere: eam exerce: ſis, qui nomine, idem re, Hercules uere in aduerſis, duriſsimisq; caſibus, nunquam animo debilitatus, ſemper uictor, & admirandus. quòd ſi te hiſtoriæ delectant, refer tuam mentem ad Horatium Puluillum, qui, cum in Capitolio Ioui ædem Pontifex dedicaret, atque inter nuncupationem ſolennium uerborum, poſtem de more tenens, mortuum eſſe filium audiret, non ob id manum à poſte remouit, ſed uultu prorſus immutato, nullaq; animi perturbati apparente ſignificatione, tantum dixit, Cadauer eſto. Paulus uero Aemilius cum ex quatuor filiis formæ inſignis ac egregiæ indolis duos ei fortuna abſtuliſſet, quorum alter triumphum illum patris nobiliſsimum, quem de Rege Perſeo egit, funere ſuo quartum ante diem præceſsit, alter triumphali curru uectus, poſt diem tertium expirauit; eum caſum quo robore animi ſuſtinuerit, ex oratione, quam de rebus à ſe geſtis ad populum habuit, colligi poteſt. qui cum in maxima Romanorum felicitate timeret, ne quid mali reipublicæ fortuna moliretur, Iouem, Iunonem, & Mineruam precatus eſt, ut, ſi quid populo Romano aduerſi immineret, totum id in domum ſuam conuerterent. nec fefellit cupiditatem euentus. liberis enim ſubita morte ereptis, factum eſt, ut Romani potius Aemilii caſum dolerent, quàm ille Romanorum ingemiſceret. Quintus Marcius Rex cum filium ſummæ pietatis,

pietatis, magnæq; ſpei unicum amiſiſſet, ita dolorem altitudine conſilii coercuiſſe traditur, ut à rogo iuuenis protinus curiam peteret, ſenatumq;, quem eo die lege habere oportebat, (quòd conſul erat) uocaret. His addam Periclem, Athenienſium principem; qui intra quatriduum duobus adoleſcentulis filiis ſpoliatus, iis ipſis diebus uultu priſtinam grauitatem præſeferente, orationem, nulla ex parte infracti indicem animi, grauiſsimam habuit, quinimmo caput ſolito more coronatum ita ſuſtinuit, ut nihil ex uetere ritu propter domeſticum uulnus detrahere uideretur. Anaxagoras, audita morte filii, nihil, inquit, mihi inexpectatum aut nouum nuncias: ego enim ex me natum ſciebam mortalem. Xenophon etiam cum ſolenne ſacrificium perageret, atque è duobus filiis maiorem natu nomine Xilum apud Mantineam in prœlio cecidiſſe audiret, non ideo inſtitutum Deorum cultum abiiciendum, aut omittendum putauit; immo audiens fortiſsime illum pugnantem interiiſſe, Deos, quibus ſacrificabat, teſtatus eſt, maiorem ſe ex uirtute filii uoluptatem, quàm ex interitu dolorem ſenſiſſe. In horum tam forti moderatoq; animo quid inerat aliud, quàm ut egregiis conſtantiæ ac fortitudinis exemplis nos à Diis immortalibus ea lege creatos admonerent, ut omnino ex hac mortali uita decederemus? idq; non iniuria, ut cum hominem ex elementis principium habere non ignoremus, eundem facile etiam corrumpi poſſe, facile diſſolutum euaneſcere putemus: certosq; nobis fines, terminosq; eſſe conſtitutos, extra quos egredi non liceat, nulla habita ſuperioris uel fortunæ, uel dignitatis, quam quis conſecutus ſit, ratione, credamus. quæ res quamuis aperta, claraq; ſit, confirmatur tamẽ magis Auguſti magnitudine, Cæſaris triumphis, Alexandri gloria, Pyrrhi militari diſciplina, immenſis Darii pompis, ingentibus Antiochi opibus, uirtutum copia Epaminondæ, immortalibus Philopœmenis laudibus: quæ omnia in uentos ceu fumus abiere. Vrbes etiam, ingenti murorum mole præcinctæ, atque in ipſis terræ uiſceribus fundatæ

fundata mœnia procumbant. quis credat duriſsima ſaxa poſſe aliquando emolliri, & ad nihilum redigi? En ubi Meſſana cincta marmoribus? ubi coctilibus Babylon? potentiſſima Carthago? pergamis ſuperba Troia? artifices belli Thebæ? iuſtitiæ cultrix Lacedæmon? ſtudiorum bonarũq; artium mater Athenæ? Denique ubinam deliteſcit, quonam euanuit caput terrarum orbis Roma? omnes in auras dilapſæ, earumq; lares eminentiſsimi ita ſolo æquati, ut nulla priſcæ ciuitatis imago, nullum pene ueſtigium extet. quid hic taces Italia, terrarum nobiliſsima? cur non quereris? cur non fatum clamas, cuius inſtituto tot populis, quibus antea ornata fueras, Samnitibus, Volſcis, Latinis, Sabinis, Faliſcis, Brutiis, Lucanis, Hernicis, Salentinis per ſe quondam potentiſsimis, orbata iaces. Aſſyriorum potentia, quæ ſub Rege Nino initium cepit, qui primus intulit bella finitimis, primusq; uictas à ſe gentes imperio ſuo adiecit, certaq; parendi lege conſtrinxit, (animaduerte, quæſo, mutationem uarietatemq; fortunæ, & quo pacto res huc illuc transferuntur) cum mille trecentis & quinquaginta annis ſtetiſſet, à Medis tandem ſubacta corruit. et ii uix ducentis poſt annis à Perſis uicti cecidere. Perſas deinde, cum tantundem regnaſſent, Macedones in ſeruitutẽ redegere. qui deinde à Romanis uicti leges & alienum imperium accepere. Eadem ruina Chaldæos, Hebræos, Sicyonios, Argiuos, Aegyptios, Tyrios, Lydos, Troianos oppreſsit. Athenienſes in primis occurrunt: qui cum omnem oram, quæ intra Pamphylicum, & Ponticum littus interiacet, poſſiderent, uix ſeptuaginta & duorum annorum ſpatio à Lacedæmoniis ſuperantur. Lacedæmonii cũ omnem Peloponneſsum, Macedoniam uſque, armis partam haberent; non multo poſt à Thebanis ſubiguntur. & ii non diu in regno perſeuerantes, ab innata & peculiari Macedonum ferocia, ac militari uirtute debellantur. Poſtremo Macedones, cum in uniuerſa Græcia nulla amplius reſpublica eſſet, quæ ſuſtinere potentiam eorum, ac uirtutem bellicam poſſet, intra

triceſimum annum ipſimet inter ſe mutuis diſſenſionibus euanuerunt. De Carthaginienſibus, quorum caſus recentior eſt, ſatis patet: qui non contenti Africæ imperio, quanta ab oceano Athlantico ad Aethiopas Nilumq; porrigitur, & quæ magnitudine ſua, diuerſarumq; gentium cultu, & multarum nationum uarietate, tertia pars orbis meruit appellari; Hiſpanias cum Baleáribus, Galliasq;, & Italiam cum adiacentibus inſulis, Sardinia, Corſica, Sicilia, totam denique Europam animo anxio affectabant, multis poſtremo affecti calamitatibus corruere. Nec inter noſtros Italos aliquas tacebo Reſpublicas, Locros, Campanos, Tarentinos, Heraclienſes, Tuſculanos, denique Romanos rerum dominos, gentemq; togatam. de quibus falſum ne, an uerum illud ſit, Imperium ſine fine dedi, quia non eſt huius loci quæſtio, conſulto prætereamus. Iam plane intelligimus nihil firmum, nihil ſtabile ſub cælo, omniaq; conſumi & ad nihilum redigi non dubitamus. quod recte maiores noſtri non ignorantes finxere, Saturnum proprios natos deuorare, nec iniuria. Saturnus enim tempus eſſe creditur; & filii, quos uorat, anni dicuntur, quibus aſsidue ſaturatur. inde eſt Saturni nomen ductum: quandoquidem tempus, quod ſine mundi conuerſione effici non poteſt, in cauſa eſt, ut omnia conſumantur, ex quo dicta mors eſt. concors huic ſententiæ eſt Salomon, qui ſcripſit ſub temporis ſignificatione, ſcilicet anni, diurni, nocturni ue ſpatio, ætatem ætati ſuccedere, ſiderumq; errores, uniuerſaq; ſub cælo traduci. His igitur exemplis rationibusq; perſpectis, nihil eſt, quòd ex tuis quenquam uita excedere, quod lege communi ſancitum eſt, doleas. Illud te fortaſſe ſolicitat, angitq;, quòd ætatis adhuc conſtantis, necdum extremæ, te pater tuus reliquerit. Sed hæc abſit uulgi & imperitæ multitudinis cura. Nam ſi finem illum, cuius cauſa procreati ſumus, recte conſiderabimus: optabilius erit, ante quàm ad ſummam ſenectutẽ perueniatur, è uita diſcedere. quod enim in homine bonum eſt, id quidem ex ea parte, quæ nobilior

nobilior eſt, ex animo ſcilicet potius, quàm corpore, cenſeri nemo dubitat. Idcirco multo maiorem decet ipſius animi, quàm corporis, rationem habere, unde uoluptatem ipſam, quam quærimus, ſummumq; bonum conſequi ualeamus. quo tandiu uidemur quodam modo fraudari, quàm diu corporeis uinculis animus noſter detinetur; quo longius ab eo diſtrahitur, quando fragilitate noſtra corporis commoda, uitamq; protrahendam curamus. quibus conatibus nobis ipſis nos eſſe iniurios certum eſt: quos contra expeditiſsimos ad hæc omnia paratiſsimosq; eſſe deceret. quippe ut Chriſtianorum omittam ſentẽtias, uetus eſt Platonis opinio, quæ cõſtat ex antiquiſsimis literis atq; monimentis, hominis animum æternitatis eſſe participem, nobisq; datum ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera ſtellasq; uocamus, ſeuocatumq; eundem à ſocietate corporis in cælum redire: ubi corruptionis expertes, nullo temporis fine circumſcripti, æterna illa diuinitate fruituri ſumus., unde noſtros ortus duxerimus. Multa nobis ſuadent, Hercules Princeps illuſtriſsime, breuem uitam magis homini, quàm longam expedire. ſed hoc potiſsimum animo ſubiiciamus, innumeras eſſe moleſtias, in quas, ut à principio attigimus, diu uiuentes neceſſario incurrimus, adeo ut ſæpe non modo nos pœniteat ad eam peruenisſe ætatem, ſed etiam, quòd unquam in lucem prodierimus, cum acerbiſsimo animi ſenſu doleamus. tametſi noſtrorum malorum culpa ſæpiſsime eſt in noſmet ipſos conferenda: qui falſa rerum ſpecie decepti, aſsidue optamus ac petimus ea, quæ poſtea conſecuti dolemus; ut qui uitæ curriculum ad multos annos expetũt, ſed, quantis incommodis, difficultatibusq; ſenectus affecta ſit, minime putant. Quare non temere à Satyrico dictum,

Hæc data pœna diu uiuentibus, ut renouata
Semper clade domus multis in luctibus, inq;
Perpetuo mærore, & nigra ueſte ſeneſcant.

Idcirco traditum eſt, Egeſiam Cyrenaicum non paucis perſuaſiſſe, ut ipſi ſibi mortem potius conſciſcerent, quàm ut

in his miſeriis humanis continuo uiuerent, adeo ut ab Aegypti Rege Ptolemæo genus illud mortiferæ doctrinæ uetaretur amplius in ſcholis profiteri. Hanc opinionem Cleobis & Bythonis teſtimonia confirmant: qui cum matrem Argiam ad templum cuiuſdam numinis, cuius ipſa ſacerdos erat, humeris ambo uexiſſent; oraſſetq́, mater, ut præmium pietatis filiis id tribueret, quod homini optimum eſſe duceret, poſtridie mortem obierunt. quod idem Trophonio atque Agamedi accidiſſe legimus, cum ab Apolline mercedem templi, quod ei conſtruxerant, uitam beatiorem ſibi petiiſſent. quibus exemplis plane arguitur, mortem eſſe id optimum ſummumq́; bonum, quod hic homini euenire poteſt. itaque Silenus, cum à Migda, Lydorum Rege, captus eſſet, pro ſua miſsione id muneris dediſſe Regi ſcribitur; Homini longe optimum non naſci; proximum autem, quamprimum mori: uti dictitatum ab Euripide traditur. Quòd ſi fortaſſe huiuſmodi gentilium exempla ſuſpecta uobis Patres ſint, tanquam in religionem noſtram minime recipienda: proponite, quæſo, uobis illius ſaltem ſimplicis Iob, iuſtiq́; uiri exemplum: qui dum humanæ uitæ conditionem penderet, ſæpe queſtum aduerſus matrem ferunt, quare ſe de uulua eduxerat, aut utero eductum, nõ continuo ſepulcro intulerat. Iam ſatis, opinor, conſtat, illuſtriſsime Princeps, mortem nullo pacto deplorandam eſſe, nihilq́; referre qua ætate, quo ue tempore, qua conditione ad ſepulcrum deferamur. Alphonſum, patrem tuũ, nimis cito ereptum, fortaſſe quereris. ſit ita. ueruntamen ita ereptum omnes uidemus, ut lætitiam potius, quàm dolorem, inde te deceat ſuſcipere. licet multum ualere ad patris honorem pietas hæc tua uideatur, cum ita affectus uidearis, ut nemo unquam unici filii mortem magis doluerit, quàm tu mæres illius. id quod multum etiam ad tuam laudem, quæ tamen aliis nominibus eximia eſt, arbitror attinere, qui honorem patri debitum, una cum Hippolyto, & Franciſco, fratribus tuis coniunctiſsimis, qui tecum ſunt uiuæ

uiuæ Alphonſi patris imagines, præſtitiſſe uidearis. quod etiam ad exemplum ualebit. iſtam enim pietatem ciues tui, ac populi tum erga ſuos, tum in te ipſum, qui parentis optimi loco nobis omnibus es, imitabuntur. quanquam non emergunt nunc, aut, quaſi antea parum perſpectæ, cognoſcuntur tuæ uirtutes. nam ab ineunte ætate eum te præbuiſti, cui pater Alphonſus optime putaret hoc imperium credi poſſe. longe ſemper à deſidia, & ab inanium rerum ſtudio tua uoluntas abfuit. legebas puer, ac diligentius etiam adoleſcens hiſtorias tum græcas, tum Latinas: equum agitabas: armato hoſti lancea occurſabas: feras inſequebare: cum urſis, lupis, apris congrediebare. Quæ effecere, ut Etruſcorum Reſpublica in libertate ſua tuenda non aliũ defenſorem, quàm te, efflagitarit; neque alium potentiſsimus Galliarum Rex ſibi generum legerit; neq; in rebus uniuerſæ Italiæ proſtratis alium Ferraria, qui apud Adrianum Pontificem maximum cauſam pro patre, pro Ferrarienſi imperio ornatius peroraret; qui non egiſti mandata Patris, & patriæ tantum, ſed obtinuiſti. Sed, ne tuarum laudum hiſtoriam texere uidear, Herculès Princeps, noli iam diutius indulgere tuo dolori; depone lacrymas, ac tibi ſtatue ante oculos innumera ac pene infinita caſuũ genera, in quos homines ignari, fortuna ducente, incurrunt. Non ignoras, quot mare abſorbeat, quot furor iraq́; bellorum perdat, quot peſtilentiæ uis interimat, quot male ſuada fames, & triſtis egeſtas, ac mille alia huius generis mala, quæ mortales ad hunc exitum quaſi trudere uidentur. Quin etiam ſcimus quoſdam tam priſco, quàm noſtro ſæculo ſceleratas in ſe manus conuertiſſe. plures exilio dulci patria pulſi: multis, magno ipſorum totiusq́; familiæ dedecore, turpiſsime uita eſt in carceribus, aut in locis publicis erepta. quot etiam tyrannorũ cruces, tormentaq́; paſsi ſunt, quæ non ſine pauore animum perculſus audio, Phalaridis Taurum, Buſyridis hoſpitium, equos Diomedis, Scironis Saxa, Procuſtis toruitatem, Sphyngis ænigma, & alia plurima

rima ; quæ noſtri quoque temporis homines, uel iure, uel iniuria, quandoque ſuſtinent. At uero pater tuus eo genere mortis obiit, quo fortes, pios, iuſtos, ſanctoſq; Principes decet, in ſuo regno, in magnifica, præclariſsimaq; totius Italiæ urbe, ditiſsimo apparatu, rerum omnium opulentia, fideli amantiſsimaq; familiarium, amicorum, ciuiumq; nobilium cuſtodia, & populorum obſeruantia. nec uero obiit obſcurus, aut uita turpiter acta, ſed rei militaris diſciplina clarus, & præclare geſtis rebus admodum inſignis: lenitate uero, modeſtia, ac comitate omnes uicit. neque deerat in hoc Principe totius honeſtatis decus, ea, qua motus animorum omnes continẽtur, quæ ideo appellatur temperantia, & ille animorum concentus ex multiplici repugnantiũ affectionum genere: adeo ut innatã eius prudentiã, & cõſiderata iudicia rationis, ſub huius uirtutis ſalutaris præſidio confirmaſſe diceretur. & recte. noſſe enim quando libidinis immanitas à recta ſententia nos detorquet, idq; à magiſtris ac libris didiciſſe, parũ prodeſt, niſi, cũ res exigit, ratio imperium teneat, atque pro dignitate regium ſuum munus adminiſtret. quid enim, quæſo, Achillis iracundia, aut Aiacis furore turpius? quorum alter luctu atque lacrymis, quãtum ſibi ipſi diſpliceret, oſtendit; alter dedecus, impotentia animi conceptum, morte delere conſtituit. quod etiam in Alcibiade perſpici poteſt: qui cum egregiam indolem intemperantia contaminarit, ignominiæ ſempiternæ maculis eſt aſperſus. Idem Pauſaniæ, Alexandro, & reliquis eodem morbo affectis obiicitur. Alphonſus & uitia nouerat, & uitabat: uoluptates nefarias repellebat: aduerſabatur: omnes denique motus animi temerarios, atque turbulentos coercebat. iccirco magnum nomen animi præſtantis altitudine, & multis continentiæ exemplis adeptus eſt. Commemorare etiam poſſem, quàm ſæpe honeſtatis tuendæ gratia extremum diſcrimen adierit, quàm illuſtres contentiones pro iuſtitiæ defenſione, & totius Italiæ libertate ſuſceperit, quanto impetu & ardore cum ſummo fortunarum omnium periculo

riculo ſupplicibus opem attulerit: & cum hæc illuſtria maxime curaret, ne illa quidem, quæ uidentur paulo minora, negligebat, ut bonis moribus pueri inſtituerentur, iuuentus ad omnes artes excitaretur egregias, ſenesq; grauitatem ſuam ſeruarent, atque uniuerſus populus in uirtutis ſtudio cõſentiret. Quòd ſi me in hoc orationis curſu ad hiſtoriam labi ſinerem, exponerem ea, quæ pro Mutinæ ac Regii urbium recuperatione fortiter, atque laudabiliter geſſit. Iam Carpenſis acquiſitio, Flaminii conſeruatio imperii quàm amplam orationis ſegetem mihi ſuppeditaret. Neque enim fieri poſſe puto, ut hic Princeps tam longe lateq; imperium, tam multis annis conſeruaret, niſi artes præclaræ, quibus erat inſtructus, multis partibus hoſtium uitia ſuperaſſent. nullo modo, mihi credite Patres, non dico imperium augere, ſed ne Ferrariæ quidem unius imperium diu tueri potuiſſet. Mirum enim dictu, quanta populos omnes ſuæ ditionis facilitate æquitateq; gubernaret. idq; erat illi inter ceteras dotes peculiare, quòd ingeniorum æſtimator optimus iis indulgentius fauebat, qui ſtudio, induſtria, doctrina pollerent, eoq; magis, ſi ad hæc bona morum integritas accederet. hoc enim plane regium munus, & gentis Eſtenſis maieſtati conſentaneum, ac proprium ſemper fuit, munificentia uirtutem alere, inopiæ, atque innocentiæ ſubuenire, idq; nõ tam opibus, terræ uenis effoſsis, quàm iiſdem humanitatis & religionis muneribus, quibus imperium eſt aſſecuta. hoc enim arbitror Heſiodum ſignificare uoluiſſe, cum illos diuitias cultoribus ſuis elargiri affirmat. Hæc effecere, Hercules Principes, ut hæc ciuitas hactenus floruerit, ſitq; omnium gentium commune perfugium, itaq; propagarit imperium, ut id propemodũ Adriatici atque Tyrrheni maris littoribus terminetur. exemplo hoc eſſe poteſt illis Principibus, qui aſsiduo angore, ſolicitudine, & cruciatu maximo in congerendis theſauris elaborant: neque uident, in quàm fluxa, & incerta ſede ſint eorum opes locatæ, qui ad eas augendas ſola auaritia utuntur.

tur. quod enim imperii regimen in eo esse poterit, cui dominatur auaritia? quem effrænata pecuniarum libido à recta ratione detorquet? eum certe nõ Principem modo, sed ne hominem quidem appellari fas est, monstrum potius immane, importunum, non ex equo & homine, quales poetæ Centauros fingunt, sed totum è leonis feritate, & uulpeculæ fraude compositum. Nec uero, nisi post inductam auaritiam, cum prouinciæ à magistratibus exinaniri cœptæ essent, Romani imperii magnitudo dissipari cœpit, & magis magiq; labi, donec omnino corrueret: cum esset liberalitate auctum, atque diutissime conseruatum. Nec uero silebitur admirabilis & pene diuina eius tum in conflandis, tum in ducendis æneis machinis, omnium grauissimis, industria, ac facilitas. & plane si omnes, qui ex omni ætate, uel etiam in ipsa Germania scientiam tam difficilis artis habuerunt, unum in locum conferantur, cum Alphonso non uidentur conferendi. neque magis tormẽtorum, quàm belli artifex fuit. adeo, quæ alii excogitabant, ipse ad exercitationem ita referebat, ut aliquid etiam de suo semper adiungeret. unde constat militaris disciplinæ rationẽ nõ esse in erra nte opinione, sed in natura & exercitatione si tã. id maxime declarat, quòd omnibus innatum est pugnandi desiderium. Quæ enim gens est aut tam humanitate culta, aut tam immanis, & barbara, quæ non bellicæ laudis ad studium naturali quodam impetu concitetur? Quantam uero illius cupiditatem natura nobis inseuerit, ex eo facile cernitur, quòd omnes pueri infantes, simul atque sentire aliquid incipiunt, tubarum clangore, ac timpanorum sonitu capiuntur. Mirũ est enim, quanta certamina ineant, quanto uincendi studio efferantur, quantus in uictis pudor insit. Itidem Alphonsus in ipsius ætatis primordio dedit insignia documenta, quanti gloriam æstimaret. Sed omitto machinas: quas nemo conflauit peritius, duxit facilius, collocauit, ubi pugnandum erat, callidius, aptius, opportunius. rem quidem militarem uniuersam ita sapienter ac fortiter exercuit,

exercuit, ut cum hostes retunderet, tum uero paci, ac rerum diuturnitate præclare consuleret. testis Ferraria: quã foueis, aggeribus, omniq; apparatu bellico muniuit, inexpugnabilemq; reddidit. Hæc effecere, ut fortunis quisque suis fruatur, ut ociosam ac beatam uitam intra lares suos traducat, ut uxores, filios, familiamq; citra omnem periculi suspicionem alat. Porro quemadmodum gregis pastorem oportet curare, ut saluæ sint oues, nec desit iis, unde uiuant: sic & Principem curare necesse est, ut populus saluus sit, illudq; perficiat, cuius rei gratia imperat: imperat enim, non ut sui ipsius curam habeat, sed ut ii, qui sub eius imperio sunt, ab hostium incursu tutiores per ipsum efficiantur, nec suspenso, belli motu, animo, sed iucunde semper ac tranquille degant. Hi sunt illi Principes, quorum uirtutem omnes summi, infimi, mediocres admirantur; quorum magnificam speciem intuentes studio incendun-tur; qui non modo uiui, sed multo etiam magis post mortem, in ore omnium sunt; qui patriam caritate amplectuntur, uirtute muniũt, ac tuentur; qui humana omnia, quamuis horribilia, ueri decoris tuendi causa, despiciunt; qui uitam, cum opus ita fuerit, pro salute suorum ciuium profundere nunquam recusant. iure igitur Alphonsus hominũ commemoratione uiget, qui sese in medios hostes immisit, ut patriam liberaret, illam animi præstantiam imitatus, qua Codrus, morte sua neglecta, patriam conseruauit; qua Leonidas, ut aditu Græciæ Persas excluderet, fortiter extremum diem ad Thermopylas obiit; qua denique. Decii sese pro patria deuouentes in armatas hostiũ cateruas proiecerunt. Quid enim corporis elegantiam narrem? cuius aspectu adeo omnes sui corporis partes integras & aptas habebat, quibus eius species ornatior esse poterat, ut insidere uideretur cura quædam propriæ dignitatis. erat autem non tam in colore bonitas, quàm in certa dimensione lex quædam, quæ omnium ad sese oculos raperet. poterit quidem fieri, ut alios alia magis delectent, ut in picturis:

nemo tamen honeſtiorem aut liberaliorem effigiem uidiſſe non inficiabitur: ſi illa pulchritudinis imago, quæ ſub oculos cadit, quamuis fluxa, & caduca, naturæ ſenſu iudicari poteſt. Quantum uero ad pulchritudinem animi attinet, quæ neque morbo corporis amittitur, neque ætate defloreſcit, neque medicamento ullo corrumpitur, quis non eã in Alphonſo cumulatiſsime inſitam fuiſſe fateatur? ſi illam corporis honeſti pulchritudinem ad pulchri animi ſpeciem transferamus. atque utinam ſic eam oratione liceret, atque mente licet, & cogitatione, depingere: iam uideretis patres ipſius liberalitatis fontem, unde omnes laudes emanant, atque magnitudinem animi, neceſſariam ad firmiſsimam iuſtitiæ ſui imperii cuſtodiam, negligentis mortem omnem, omnesq; turbidos motus, qui cæco impetu rationis arcem oppugnant, acerrime propulſantis. atque hac uirtute duce, ex omnibus periculis non modo incolumis, uerum etiam uictor euaſit. Taceo Iulii ſecundi, Pontificis maximi, iniuriam: taceo Venetorum impetum, & præclarum illum diem, omnium ſermone celebratum, cum Hiſpanas copias ad Rauennam clade memorabili proſtrauit. Nam Eluetiorum impetu, cum iam Gallus uictor Inſubriam & Liguriam amiſiſſet; eo depulſo, tota in Alphonſum belli moles incubuiſſet; miles Hiſpanus & Pontificius aduerſus Proaſtiam in Aemiliam impetum facere tentarent; ſola ſuorum ciuium manu bis rem bene geſsit. Quocirca ad poſteritatis memoriam pertinere arbitror, extare quod fuerit de uno atque altero bello iudicium omnium. erit enim uictoria ipſa teſtis, ut hoſtium tantorum interitus honoris memoriam conſecutus ſit. Sed quid in recuperanda Mutina, Regio Lepidi, & Herbaria dicam? Tanta enim celeritate res acta eſt, tanta in uictos clementia, ac liberalitate, ut uirtutes ipſæ inter ſe certare, omnemq; Imperatorũ gloriam æquaſſe uideantur. Quid hic memorem Coruncanii, Catonis, & Aemilii Pauli continentiam? Quid Africani, quid Quinctii, quid aliorum principum manſuetudinem,

nem, & in ſeruandis uictis moderationem? Bella uero nunquam ferme, niſi laceſsitus iniuria, ſumebat, nec arma illis ipſis, à quibus uiolatus fuerat, inferebat, niſi, rebus fruſtra repetitis, bellum ante, ſolenni ritu, denunciaſſet. ſuarum autem externarumq; prouinciarum, quas armis recuperauerat, uel ſubegerat, patronus fiebat more maiorum, & eorum commodis egregie conſulebat, uſque adeo ut eſſet eius uictoria ſanis hoſtibus interdum expetenda. quàm multis enim uicinis populis, inteſtinis ſeditionibus agitatis, malorum finem attulit; quanta fide ſocios, & omnes denique, quos ſemel in fidem receperat, tutatus eſt. O diuinum Principem, ueræq; laudis cupiditate flagrantem: qui cum eſſet natus ad bene merendum, neque pro amicis, neque pro inimicis pietatis ullum recuſauit officium. uidebat enim nihil eſſe in rebus humanis neque ad ſalutem generis humani fructuoſius, neque ad Dei uirtutem prædicandam illuſtrius, quàm opem ferre laborantibus, & afflictos erigere. Ergo cum nihil clarius in omni natura Dei laudem & gloriam oſtendat hominibus, quàm illuſtris piorum hominum laus; & omnis animorum contentio ad munificentiam referenda ſit: huiuſmodi Principis mortem, (ſi mors eſt, uita breui relicta, ad æternam migrare) quis eſt, qui lugendam ullo pacto cenſeat, quam amare, & nobis ipſis optare debemus? quod enim uir ille Romanorum omnium eloquentiſsimus olim prodidit, non illa mors, ſed uita potius appellanda eſt eorum, quorum laus emori non poteſt: illorum autem terribilis, quorum cum uita omnia extinguuntur. Inuictiſsimus igitur pater tuus, Illuſtriſsime Princeps, tantarum laudum ſplendore inſignis, ſine tuo, ullius ue mærore, in pace iam conquieſcat: & in illud beatum ac felix animorum concilium abeuntem nemo luctu proſequatur: qui cum in cælum breui momento peruenerit, ex illa ſublimi & illuſtri ſpecula pietatem tuam erga ſe deſpiciens, felicitati tuæ ſecundiſ-

simum cursum puppis aureæ uelis, leniter spirantes auras, & lætis annorum tuorum spatiis gratam, iucundamq; prorogationem à Deo optimo maximo, quod nos quoque simul omnes precamur, impetrabit.

AD PAVLVM III. PONT. MAX.

CVM omnibus in rebus, Pontifex maxime, initio dicendi commoueri soleo, & eo uehementius, quo mihi grauiorē causam sentio esse commissam: tum in hoc tuo gratissimo aduentu celebrando ita me multa perturbant, ut quantum mea fides, ardensq; desiderium, & tua dignitas ad dicendum afferunt copiæ, tantum facultatis huiusce rei magnitudo detrahat. Quod tamen in me ferendum crediderim: cum & id tuæ maiestatis reuerentiæ debeatur; & proprium oratoris semper fuerit, uti & Demosthenis, aliisq;, summis oratoribus, maximis in rebus eueniſſe legimus. Quæ enim dicendi facultas, quæ ubertas, quæ copia, quæ denique grauitas est, qua nunc ego me Principi meo, in referenda tantæ Maiestati gratia, satis esse facturum existimem? Equidem cum in omnes partes animo circumspicio, omniaq; cogitatione peruoluo, nihil sane uideo, unde potius exordium sumam, quàm ex uniuerso illo omnium mortalium gaudio, quod ex aduentu tuo constat in animis omnium esse excitatum. id quemadmodum amplissimum est, sic sese mihi, oculisq; meis præter cetera res, quæ ad dicendum occurrunt, clarissimum ac maxime perspicuum offert. In quo tamen illud mihi est molestum, quòd infinitæ rei ne minimam quidem partem assequi oratione possum. Summæ sunt atque innumeræ tuæ uirtutes Paule, summa item ex tuo aduentu lætitia, summa quoque Principis mei erga te fides est, atque obseruantia: summa igitur ad hæc explicanda requiritur eloquentia. quæ in me quidem adeo tenuis est, ut adumbrare uix liceat ea, quæ cuperem exprimere. Aggrediar tamen, & imbecillitatem meam humanitatis & prudentiæ tuæ magnitudo subleuabit. Respice quæso, beatissime Pontifex, præstantissimum Herculem, Principem nostrum: aspice egregiam prolem, insignemq; huius urbis nobilitatem: intuere

tuere unumquenque ſuo ordine, & contemplarè mares, feminas, iuuenes, adoleſcentes, uiros, ſenes: profecto nullum eorum reperies, qui non ſingularem, ac pene omnium incredibilem uultu ipſo ac facie lætitiam præſeferat. Arridēt medius fidius parietes ipſi: tecta lætitia geſtiunt; totaq; urbs, tantum uiſura triumphum, circumfuſa aduolat. Conuerte, quæſo, paulatim tuos ſacratiſsimos oculos, Pontifex optime. nihil profecto uidebis ex hoc expectatiſſimo, & iam diu ab uniuerſo hoc populo deſiderato aduentu tuo, niſi plenum gaudii, plenum lætitiæ, & hilaritatis. uident enim uniuerſi, atque animo contemplantur eiuſmodi ſibi diem illuxiſſe, quo uel gratiorem, uel iucundiorem, uel magis glorioſum ne optare quidem potuiſſent. Nam quæ euenire poteſt aut Principi meo maior laus, aut toti ciuitati gloria, quàm eius antiſtitis præſentia illuſtrari, ac decorari, quo neminem unquam ſol uiderit potentia, uel dignitate, uel nobilitate maiorem, uirtutum præſtantia, & rerum geſtarum gloria clariorem? utinam mihi à ſummo illo omnium bonorum largitore conceſſum eſſet tantum ingenii flumen, ac tanta dicendi uis, tantaq; copia, ut, non dicam enarrare, uerum attingere ſaltem res tuas aliqua ex parte pro dignitate poſſem. ſed uereor ne, ſi de his ad dicendum ordiar, in medio ſermone deſtituar. uerum Pontificiam maieſtatem præteream, cuius dignitas, atque amplitudo tanta eſt, ut ſilendum potius exiſtimem, (in eo quidem modeſtiæ laudem eſſe poſitam cenſeo) quàm tenuiter de ea dicendum: cum res diuina potius, quàm humana uideatur. Et ut tuæ familiæ ſplendorem omittam, quæ, tot iam ſæculis, inter nobiliſsimas, antiquiſſimasq; totius Italiæ domos quaſi alter ſol illuxit, ex qua plurimi in rerum diuinarum atque humanarum adminiſtratione tam præſtantes extitere, ut ad ſummam laudem maxima omnium gloria peruenerint. quod hercle naturæ beneficium eſt uel maximum. quandoquidem ſi quos uidemus,

mus claris parentibus ortos, ad ſummos dignitatis gradus conſtat hac ſola de cauſa fuiſſe euectos. Scitum eſt enim illud Themiſtoclis dictum Seriphio cuidam in iurgio obiicienti, non propria eum uirtute, ſed propter patriæ ſplendorem fuiſſe à Lacedæmoniis ſingularibus ornatum honoribus. recte quidem, inquit Themiſtocles. Nec ego ſane, ſi Seriphius eſſem, tanta uirtutis inſignia fuiſſem conſecutus: neque tu, ſi eſſes Athenienſis, clarus unquam eſſe potuiſſes. Quod etiam multis in locis uſu uenire potuiſſe puto. non enim præclarus eſſe quiſquam poteſt in ciuitate clara, obſcuris parentibus; ortus nec, in ciuitate non celebri, clarus, quamuis genere fuerit clariſsimus. quanquàm nobiles interdum Athenas, Spartam, Carthaginem, atque poſtremo Romam, omnium ciuitatum, quæ unquam fuerunt, nobiliſsimam, dicimus, propterea quòd uiros per multos aluerit, qui conſilio rempublicam regere, ſapientia conſeruare, uirtute hoſtes arcere, imperiiq; fines propagare, et innumeris denique beneficiis patriam obſtringere poterant. et merito quidem. nam, ſi quid in illa ætate extitit præclare geſtum, dignumq; memoria ſempiterna, id ab hoc potiſsimum ordine geſtum eſt. quod ſatis eſt manifeſtum, res à maioribus tuis et à te ipſo præclariſsime geſtas memoria repetenti, tum uel maxime, cum in Germania et aliis bellicoſis nationibus, ob aliquorum Chriſtiani orbis principum ſectas, excitarentur acerbiſsima odia, atque turbulentiſsimæ ſeditiones, ita ut in optimi cuiuſque fortunas irrumperent: tua tamen prouidentia factum eſt, ut tanta hæreſis, tamq; mala inſtitutio, ab illo naturæ ſenſu ducta, ſuperſtitiones omnes atq; immanitates profligarentur, atque extinguerentur. hoc ita his tantis in rebus es aſſecutus, ut, cum gloriæ cauſa nihil facias, incredibili tamen apud omnes populos gloria circunfluas. O ſingularem ſapientiam: inueteratum iam tot annis errorem tu Pontifex ſuſtuliſti: inueteratam, inquam, tot principum clariſsimorumq; uirorum caliginem, exortam in eccleſia Dei, abſterſiſti:

ſterſiſti, & iam omnia peſtifero anhelitu maculantem uipe ram cohibuiſti; diſsidentes Reges, et iampridem inter ſe ar mis decertantibus, ad concordiam perduxiſti: diſsenſio - nes, bella, tot Principum, populorum, potentiſsimarumq; nationum in quietem, pacem, tranquillitatemq; con - uertiſti. & ut ad recentiora ueniamus, qua prudentia, qua bonitate omnes eas difficultates, quæ hactenus inter ſacro - ſanctam ſedem & Eſtenſes interceſſerant, non ſolum dele - uiſti, ſed Hippolytum etiam in Cardinalium collegium co - optaſti? Ita tu Eſtenſis familiæ immortalis fautor, tu bono - rum omnium, tu dignitatis conſeruator, aureæq; pacis au - ctor, Herculem ipſum, Principem meum, tibi ſemper de - ditiſsimum, obſequentiſsimumq;, proprio tui ipſius teſti - monio ornaſti, maiorum dignitati reſtituiſti: florentiſsimas urbes, oppida, ſibi hæreditario iure debita, confirmaſti. ſic tua authoritate concitatos olim fluctus pacaſti: opta - tiſsimam cælo ſerenitatẽ induxiſti; adeo ut res omnes Prin - cipis mei, populiq; Ferrarienſis in feliciſsimo portu ſub tuo numine conquieſcant. An poterit, Pontifex maxime, præ - clarum aliquod facinus huic tuo præclariſsimo compara - ri? ueteres quidem felicitatem Auguſti, bonitatem Tra - iani precabantur: ſed erit aliquando tempus, quo poſteri, res tuas memoriæ proditas legentes, Paulum III. nuncu - pabunt, teq; omni laude optatum repoſcent, felicitatem tuam, bonitatem, animi magnitudinem, omnium rerum intelligentiam, & omnium eorum, quæ in ſummo antiſtite, in ſummo imperatore deſiderantur. Poſſem equidem hoc in loco infinita, omni ſane laudis genere digniſsima, com - memorare, preſertim uero illud, cum, dimiſsis undique nunciis, atque oratoribus, ut Principes potentiſsimos, per - fidia hominum diſtractos, rurſus in priſtinam concordiam reuocares, re ex uoto non ſuccedente, ipſemet durum ſane, ac perdifficile iter ſuſcipere uoluiſti, neque te ætas ingra - ueſcens, neque difficilis nauigatio abſterruit, quo minus, ſuperatis omnibus difficultatibus, publicæ ſalutis cauſa ad

Varum

Varum uſque penetraris, Principes maximos, qui de impe - rio, de ſumma rerum dimicabant, ad pacem traduxeris. Neque uero me latet, quanta cum gloria aduerſus rebelles bella geſſeris; quot, qualesq; triumphos merueris; quot oppida, ciuitates in ditionem Eccleſiæ redegeris: quarum uictoriarum non inferiorem memoriam tibi comparaſti, quàm Abrahamus, Gedeon, Dauid, aliiq; ſanctiſsimi uiri meruere. Et cum, tanta ſemper cum fide, integritate, be - nignitate, clementia, neminem non receperis; accidit, ut merito te omnes, uelut diuinum quendam hominem, uel potius mundanum quendam deum, diligant, obſeruent, colant, uenerentur. Quibus ex rebus factum eſt, ut omnes, qui aut re, aut ſpe denique ſunt boni, omnem dignitatem, ſtudium, & iudicium non modo commiſſum ab hominibus, uerum etiam à Deo commendatum tibi eſſe arbitrentur. Poſthabitis igitur his rebus omnibus, quæ longe ampliorem dicendi campum poſtulare uidentur, ut quæ uires huma - nas excedant, ad gratulationem tantummodo, gratiarumq; actionem orationem conuertam. quanquam et hoc ſuper - uacaneum, ſacratiſsime Pontifex, exiſtimo: quandoqui - dem tanta lætitia Hercules Princeps meus perfruitur, e - iusq; uxor, liberi, fratres, ac uniuerſus populus tantis gau - diis exultant, tanta in uoluptate uerſantur, ut ipſi eam, eti - am me tacente, ſuis uultibus, ſuperciliis, oculis ſatis ſignifi - care, & pro ſingulari decore, atque ornamento, quod ſibi, & huic ciuitati ſacratiſsimæ Maieſtatis tuæ præſentia hodi - erno die allatum ſentiunt, gratias agere uideantur. tibiq; in primis Hercules Dux, Principes meus, tot ornamentis, tot meritis, tot beneficiis deuinctus ad pedes tuos ſupplex procumbit: & nos eius nomine procumbimus, non quan - tas poſſumus aut animo, aut oratione conſequi, gratias ha - bentes Maieſtati tuæ, ſed quantas neque animus capit, ne - que oratio exequi poteſt: illumq; tibi obedientiſsimum, & obſequentiſsimum pollicemur: tibi hanc ciuitatem, tibi to -

tum populum, fortunas omnes, liberos offerimus. quibus omnibus tuo iure, in omnia pacis & belli munia, pro tuo arbitrio, tuaq; uoluntate uti potes. nam, cum is sit Illustrissimi Principis mei erga tuam sanctitatem animus, ut sua omnia tuæ Beatitudini communia faciat; quis dubitat, hanc etiam ciuitatem ad omne sanctitatis tuæ imperiū esse promptissimam? teq; non secus Herculi Principi subditis populis imperare posse, quàm propriis? utinam utinam Ferrariensium animi tam facile oculis cerni possent, quàm cogitatione comprehendi. neminem profecto in tanto nobilissimorum hominum cœtu uideres, qui non libenti animo, si ita res ferret, pro tua dignitate, pro gloria sanctissimi nominis tui, res suas omnes, fortunas, uxores, liberos, uitam denique ipsam profundere paratior instructiorq; ueniret. hæc enim semper fuit Ferrariensium uetus consuetudo, hoc Estensis familiæ institutum, ut sacrosanctæ Romanæ sedi & omnia deberent, & omnia semper cumulatissime persoluerent. quid referam illius Aldrouandini insigne facinus? qui, cum Acclinus, atq; Federicus Imperator, atrocissimi Pontificiæ sedis hostes, Ecclesiam uastarent, neq; esset unde aduersus crudelissimos tyrannos subueniretur, filium carissimum Florentinis pro ingenti pecunia obsidem dedit. Hinc magno exercitu collecto, tanquam præsidio diuino munitum, alterum, atque alterum hostem repressit. didicerat enim è sacris literis, esse quosdam cælestes exercitus, qui piorū hominum salutem tueantur, & ab illis, ubi opus est, omnem impetum atque furorem hostium propulsent. Hoc sane præsidio uallatos se esse senserunt Iacob atque Helisæus, cum castra Dei se conspexisse testati sunt. Conferant nunc, qui uolunt, Hermocratis factum, dum florentissimas Athenienſium opes attriuit, & patriam ab obsidione liberauit; & illud Dionis, qui tyranni iugum à ceruice patriæ depulit. conferant Camillum, Rutilium, Metellum, Curtium, Scipionem, Catonem, Paulum, Torquatum, & omnes

& omnes illos, qui pro patriæ pro parentum salute summam admirationem excitarunt, quiq; in Christiana lege instituti sunt, & ante legem, magnitudine animi, singulari clementia, & reliquis uirtutibus Christi disciplinam egregie præstiterunt: quales fuere Iacob, qui Christum in scalis maximum summa religione ueneratus est: & Isaac, qui, ut hostia, à Deo consecratus, Christi supplicium adumbrauit: atq; Abrahamus, qui Christi diem uidit, & ex eius aspectu tanta fuit uoluptate perfusus, ut omnia mortis pericula floccipenderet. Conferant & uitam Samuelis, resq; ab Ezechia, & à Iosia gestas. conferant deniq; Mauritios, Sebastianos, Catharinas, Agathas, Gordianos, Cornelios, Cyprianos, Laurentios, Stephanos, Paulos, & reliquos eiusdem ordinis sanctissimos homines. etenim, Pater beatissime, si uiri isti fortissimi & religiosissimi, bene meriti de patria, de parentibus, de Christi disciplina, gloriosissimi sunt habiti: quanto magis Estenses, qui non solum religionem Christianam dignitatemq; Pontificiā egregie sustinuerunt, & pro illius salute & beneficio semper elaborauerunt, sed Romanum imperium ab innumeris calamitatibus aliquando oppressum subleuarunt, & in pristinum dignitatis splendorem restituerunt. Reliquum est, Pontifex omnium maxime, ut omni, qua possumus, obseruantia precemur, & obsecremus, per eam mansuetudinem, benignitatem, perq; ceteras animi uirtutes, quæ tibi diuinitus datæ sunt, per uitam honestissime, sanctissimeq; actam, cuius memoriā haud ulla unquam temporis antiquitas, uel ulla unquam obliuio delere poterit, ut Herculem Principem meum, eiusq; sobolem illustrissimam, tibi addictissimos, atque urbem uniuersam respicere, & ad eam interdum tuos sanctissimos oculos conuertere uelis; Estensiumq; dignitatem, atque amplitudinem commendatam habeas. ita Dii

tibi propitii ſint : ita te felicem & fortunatum faciant : ita tibi omnia ex animi tui ſententia proſpera ad immortalitatem procedant.

AD IVLIVM III. PONTIFICEM MAX.

CVM animaduerto, Beatiſsime Pontifex, me ad ſanctiſsimos pedes tuos conſtitutum, qui unus inter omnes omnium generum mortales illius æterni numinis uim & poteſtatem geris, audiente hoc ſanctiſsimo Senatu oraturum, ad quem illuſtriſsima totius mundi ſidera, atque omnis doctrina, & religio diuinitus conuenerunt: equidem tantam rei magnitudinem animo complectens, unde initium ſumam, quo modo ſatisfaciam Herculis, Ferrarienſium Principis, dignitati in hoc munere publice mihi mandato, non facile diſpicio. quibus enim uerbis te, maximũ & unicum Chriſtianorum Principem, te Regũ Regem, atq; in terris Deum uenerer? aut quo genere orationis præclaris iſtis eruditiſsimorum uirorum iudiciis, cum me ingenio & eloquentia longe imparem eſſe ſentiam, ſatisfaciam? quis enim tanta ingenii præſtantia, aut tam admirabili dicendi facultate præditus eſt, ut de Chriſtiano imperio & religione, tum de hoc Pontifice, omnium optimo, maximo, diſſerere pro dignitate ualeat? etenim, ſi eloquentiſsimorum hominum uires, cum id ſuſcipiunt, ut humanæ uirtutis laudes extollant, atque exornent, rei magnitudine ſæpe obruuntur: quodnam erit orationis genus tam potens, ac magnificum, quo poſsit quiſquam dicendo partem aliquam tantæ dignitatis explicare? quare tacendum potius exiſtimarem, tamq; amplam, & illuſtrem prouinciam nulli aggrediendam omnino iudicarem, niſi tua admirabilis & incredibilis clementia undique iam collapſas ingenii mei uires, & ſuccumbentes humeros mirabiliter ſubleuaret, teq;, ut iis omnibus, qui integra mente, certisq; ſenſibus ad Apoſtolorum cultum, religionemq;, & ſanctimoniam à uitæ prauitate conuerſi ſunt, ita mihi in hoc officio meo perſoluendo facilem ad dicendum aditum patefacturum ſponderet. Duæ res ſunt, Beatiſsime Pater, quæ potiſsimum

Herculem

Herculem Eſtenſem, Ferrarienſium Principem, adduxerunt, ut me ſue nomine ad tuos pedes ſanctiſsimos exoſculandos mitteret: una, ut tibi, & huic ſanctæ ſedi ſe clientem obedientiſsimum, & addictiſsimum declararet, paratiſsimumq; pro tua ſalute, tuaq; dignitate tuenda, non ſolum quodcunque ſub tuo patrocinio poſsidet, ſed quicquid liberioris in ſe extat imperii, uitamq; ipſam, ſi opus fuerit, exponere: altera, ut de tua ſummi Pontificatus acceſsione tibi ſuo nomine uehementer gratularer: eoq; magis, quòd audierit, ab hoc uniuerſo Apoſtolico Senatu te una omnium uoce, & abſque ulla diſceptatione Dominici gregis Paſtorem declaratum eſſe. nec mirum. ea enim erant admirabilis tuæ probitatis exempla, tanta incorruptæ uitæ integritas, ceterarumq; uirtutum merita, ut ad hunc eminentiſsimum locum poteſtatemq; ſupremam iure optimo haud alius præter te per omnes honorum gradus erigi efferriq; potuerit. quis enim dignior in hoc altiſsimo dignitatis gradu, & in huius terrarum orbis imperio poterat collocari, quàm ille, quem in terris à primis annis cæleſtem potius, quàm humanam uitam ſemper egiſſe conſtat? qui pro Chriſtiana religione per innumeros caſus, per uaria itinera, per diuerſas prouincias, maximam ætatis partem in ſummis laboribus, in omni rerum difficultate contriuit? qui omnes artium diſciplinas, omnes naturalium rerum cauſas, omnem reipublicæ gerendæ prudentiam ita percepit, atque tenuit, ut omnes quacunque ratione non ſatis crederent ineſſe tibi cæleſte quoddam, atque diuinum, quo non ſolum terreſtria perſcrutatus ſis, ſed diuina. ceterarum enim tuarum uirtutum tanta eſt multitudo, tantus numerus, ut ex tam magna copia haud minus ſit negocii, eas, quàm cæli ſidera enumerare. ſed hæc preſertim, quæ cæteris etiam Principibus propria eſſe debent, manſuetudo &, humanitas, tanto in te maiora ſunt, quanto ceteros dignitate præcellis. His accedit tua illa admirabilis omnibus in rebus animi magnitudo, modeſtia, ſingularis,

gularis, benignitas ſumma, præcipua quædam uitæ ac morum integritas, & quæ in omni ſapiente ſunt pulcherrima, prudentia ſcilicet in reſpondendo, in audiendo facilitas, in deliberando grauitas, in conficiendo maturitas, in agendo, gubernandoq; æquitas inaudita. Nam quid ego de liberalitate dicam? cum præter omnia ferme uiuendi præcepta, quæ à ſummo illo doctore nobis tradita ſunt, te ad miſericordiæ atque beneficentiæ rationem conſtet in primis animum tuum ſemper direxiſſe. nec enim quicquam in terris fieri poteſt, quod Deo ſit acceptius, aut quo magis ad illius ſimilitudinem accedamus, quàm ferre opem miſeris, præbere refugium afflictis, tribuere miſericordiam perculſis, beneficiis iuuare omnes. nullum ſane eſt ad omnes morbos animi depellendos præſentius remedium, nulla præſtantior medicina, nulla certior in cælum uia, nulla expeditor. ita ſingulæ partes fuerunt tibi colluſtratæ lumine ſingulari, & ita inter ſe congruentes, ut uix ulla maior conuenientia poſsit excogitari. nullus enim unquam error tibi in mente fuit, nullus motus in ſenſu, qui rationis imperium detrectare poſſet: ſed ineſt in te cæleſtis illius æquitatis, quæ animum ad omnem ſanctitatem inſtruit, fidiſsima cuſtodia: ineſtq; firma & ſtabilis uirtutis conſtantia: ineſt excellens honeſtatis decus, & pulchritudo: uoluntatem uero, neque neceſsitate deuinctam, neque cauſæ alligatam, neque ulla perturbatione impeditam ſemper habuiſti. Omnibus denique uirtutibus adeo præditus, adeo ornatus es, ut non te mortalem, ſed plane diuinum omnes arbitrentur. Omitto rerum gerendarum intelligentiam, & cognitionem, atque adminiſtrationem ſingularem eorum omnium difficillimorum munerum, quæ grauiter, conſtanter, feliciſsimeq; obiiſti. Prætereo quanto cum ſtudio, labore, diligentia inſudaueris, atque inuigilaueris, ut infideliſsimos quoſdam ad ſanctam fidem, ac uerum immortalis Dei cultum traduceres, quoſdam alios confirmares: quos profecto nihil aliud, quàm immenſæ ſapientiæ tuæ uis conuertere potuiſſet: ut iam mirum

mirum non ſit, id quod homines doctiſsimi fictis fabulis memoriæ prodiderunt, Orphei cantu ſyluas, ferasq; omnes unum in locum confluxiſſe, uoluptate illa eximia commotas. ſic etiam traditur Amphiona cantus ſuauitate lapides impuliſſe quò uellet, unde uellet deduxiſſe. hoc opere Theſeus, qui primus Athenienſes per pagos diſperſos in unum locum compulit, & legibus ac inſtitutis deuinxit, immortalem gloriam eſt conſequutus. quo ſignificatur, homines illos agreſtes atque feros, qui uel ingenii tarditate, uel immanitate morum, lapidum atque ferarum ſimiles eſſent, paucorum ingenio fuiſſe moribus humanis, & ciuilibus inſtitutos: ſic tu quoque tua dicendi copia, grauitate, & ſapientia infideles illos, & à noſtris legibus ſanctiſsimisq; inſtitutis abhorrentes, ad colendam Chriſtianorum fidem, & immortalis Dei cultũ pellexiſti: qui prius habebant peruerſas de Pontificatu, deq; Deo ipſo opiniones iniquas, multisq; erroribus inquinatas, & mentes teterrima caligine obcæcatas. Neque uero timeo, ſummum illum patrem, atque rerum dominum, adeo ſcelere irritatum humano eſſe, ut non longe maiorem miſericordiam adhibiturus ſit, ut tuis ſcilicet tum ante actæ uitæ, tum præſentibus exemplis, tuis adhortationibus omnes barbaræ nationes ad Apoſtolatus ſanctiſsimi ueram religionem perducantur. O ſingularem diuinæ beneficentiæ magnitudinem, o immenſam diuinorum beneficiorum copiam, & incredibilem munerum largitatem. Hoc illud fuit, quod multis ante ſeculis à uiris diuino numine afflatis prædictum erat: Fluent ad te omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, uenite aſcendamus ad Montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos uias ſuas, ut ambulemus in ſemitis eius. Cum iſta igitur omnia in intimis iſtorum ſenſibus hominum defixeris, eosq; ad ſpem gloriæ immortalis erexeris, ſtudioq; diuinitatis tot populos inflammaueris, cui dubium amplius eſſe poterit, quin iam non uirtutis imago, ſed ſolidæ ueræq; tuæ uirtutis ſplendor homines, falſa ſpecie rerum humanarum errantes,

errantes, aut perniciosis opinionibus deceptos, ad ueram uiam ſalutis attracturus ſit? nec eo animo, ut aliquod humanum præmium tibi proponeres, ſed, cum alta mente præditus ſis in omnibus rebus, quæ abs te ſingulari prudentia & incredibili uirtute efficiuntur, ſiue ad pacis ornamenta, ſiue ad belli gerendi rationem pertineant, oſtendis facillime te humana neglexiſſe, & diuina tantum ſtudio ardentiſſimo contueri. non immerito igitur te optimus quiſque diligit, omnis nobilitas intuetur, omnis Italia laude atque prædicatione certatim concelebrare ſtudet: quandoquidem non uulgari Dei optimi maximi dono atque munere, hæc totius orbis principalis ſedes tibi commendata eſt; multis atque præſtantiſsimis, quæ in te ſunt, uirtutum ornamentis affecta, non tale quid poſtulantibus amicis, non patriæ petenti, non diuitiarum affluentia, non populari gratia, ſed uirtute & ſapientia, quibus Romana ſedes indigere maxime uidebatur. in hoc quoque, Patres, Romanorũ prudentiam imitati eſtis, qui Scipionem bis conſulem effecere, tametſi conſulatum neque peteret, neque ambiret. Verum & id tibi accidiſſe puto, quod Marco Catoni, qui quo minus ipſe gloriam, eo magis ipſum gloria ſequebatur. ſic enim, mortuo Romulo, Numa Pompilius Sabinus è Curibus paruis, & humili loco, ad Romanæ urbis imperium euectus eſt, quòd iuſtitia inſignis, & ſanctitate admirabilis, ſublatis finitimorum odiis, plurimum ad Deorum cultũ contulerat & religionem. qui quidem Romanam non multo poſt ita dignitatem auxit atque ampliauit, ut paulatim omnium gentium principatum obtinuerit. Ac tu quoque is es, Beatiſsime Pater, in quo tota Italia ſuæ incolumitatis ſpem repoſuiſſe gaudet: ſperamus te munus iſtud ſuſcepiſſe, & ſuſceptum ita gerere, ut non ſolum religionem ipſam, ſi qua in parte labat, ſis erecturus, reſtituturus, exornaturus, uerum barbaros omnes, Chriſtiani nominis hoſtes, omnino profligaturus, atque omnem barbariam, quæ tantum numero atque robore corporis confiſa etiam de uniuerſo nomine

Christiano delendo cogitat, non solum inquam longe ab Italiæ finibus expulsurus, sed ita totam Europam, Asiam, ipsam quoque Africam illuminaturus, ut Christi monimenta atque uestigia, terris illis ad insignem diuini beneficii memoriam impressa, undique uenerari tuto possint. Pari enim religionis ardore multis post ætatibus, multos principes Italos atque Gallos duce Gothifredo, uiro singulari, animi uirtute & Christiana pietate florentissimo, expulsis Turcis, atq; Saracenis, Ciliciam, & Syriam, omnemq; illam terrarum partem armis recepisse, & Hierosolymam (cuius liberandæ studio immensos labores susceperant) recuperasse traditur. Hac enim mente ante hos etiam præditus fuit diuinus ille Moses, quem sacræ literæ perhibent fuisse inter omnes mortales mitissimum, qui tamen & hostiū copias, religione sacra ductus, singulari uirtute compressit. Talis fuit etiam Dauid, quem unum diuina oracula laudè mansuetudinis unice commendarunt. neq; enim libet exemplis omnia confirmare, qui pietatis intuitu, multarum gentium regna à barbarorum manu liberarunt, atq; omnia præclara facinora pro Christi nomine susceperunt; cum ea omnia à te eo facilius effici poterunt, quanto maior & illustrior in te uirtus & dignitas elucet. itaque uis & ratio Pontificiæ dignitatis, quæ à diuina illa æternitatis præstantia ortum & augmentum cepit, summum deinceps imperium consequuta est. quod sane non fabulis, & prophanis exemplis, sed sacrarum litterarum testimonio multis in locis confirmatur. constituit enim Dominus æternæ sapientiæ consilio Pontificem super omnes gentes, & super omnia regna, ut radices ueteres, si quæ malæ sunt, minusue frugiferæ, euellat penitus, nouas autem reponat multo meliores, uniuersiq; gregis summa prouidentia curam omnem suscipiat, uehementerq; de humano genere solicitus sit. Hæc enim nobis omnibus proposita lex in illa diuinitate euangelica per Christum, uitæ immortalis fontem, omniumq; rerum principium, dum Petrum in mare uocauerit, soliq; ei legem

legem ac potestatem alligandi, atque soluendi sub illius immensa sapientia concesserit: Superq; omnes principatus principem constituerit, ut diuinæ rei uices ac potestatem inter homines possideret, ac administraret. Cum in hac igitur sacratissima sede summaq; potentia sis constitutus, ut ex tam excelso loco supremi rectoris instar clauum teneas, mortalium in hoc mundo gubernacula sapienter & libere tractes, hoc est perfectam rationem nulla ex parte suo numini repugnantem, quam summam legem appellarunt; propterea te omnes, uti in terris Domini nostri locumtenentem, magistrum ac ducem uniuersalis Ecclesiæ agnoscere ac intueri debemus, te doctorem salutaris uitæ, Christianæ religionis monarcham, Apostolicæ auctoritatis uerum heredem, Principum Principem, Regum Regem, Empyrei cæli ianitorem, culparum omnium errorumq; inter homines expiatorem simul & iudicem. tibi enim oues creditæ sunt, pro quarum salute optimus ille Pastor durissimam crucis mortem subire non recusauit, quin etiam libenter appetiit. Merito igitur omnes Principes, & Reges, ipsaq; Imperatoria maiestas, cuius munus semper fuit regna & imperia aliis elargiri, quæ gentilibus quondā cum Diis æqualis existimabatur; tuæ Pontificali subditur auctoritati. Conferat autem nunc qui uolet illud imperiorum genus, quod fuit, aut Græcis, aut Romanis, ad amplissimam hanc tuam Pontifex Beatissime dignitatem. iam uidebit quanta sit quasi rerum dissimillimarum differentia. Nam uetera imperia humano studio & exercitatione quæsita, mortalium corporum curæ innituntur: tua uero dignitas, diuina procul dubio benignitate concessa, habet firmissimam animarum nostrarum tutelam ab omnium bonorum datore elargitam. illa, inquam, temporalem gloriam breui interituram intuetur, tua uero nihil, nisi quod immortale & diuinū, spectat, illa denique fluxis opibus intenta, infirma speatq; animo de gloria tantum mundana cogitat. hæc autem tua, spretis diuitiis, ad immortalitatis certissimæ gloriæ fructum nos per-

ducit, atque ueriſsimo lumine ſanctitatis illuſtrata, ad uerum atq; ſempiternum Deum inflammat: cuius principiũ cum ad Deum ſolum referat, inuidiam nouitatis non eſt quod reformidet: quinimmo, antequam Dominus noſter Ieſus Chriſtus in terris oriretur, uerſata eſt inter homines Pontificia dignitas, quam Chriſtus optimus maximus ita auxit, & ampliauit, ut diuinarum etiam rerum ornamentum haud infimum conſtituerit. Quo fit, Beatiſsime Pater, ut mihi pulcherrimum clariſsimumq; omnium hodiernum hunc diem illuxiſſe ſentiam, cum in hoc ipſo mihi diuinitus datum ſit tantum & tam præſens numen intueri, colere, & ſaltem pura mente ac uera fide uenerari. Equidem, Beatiſsime Pater, quoties inter hos auguſtiſsimos, planeq; cæleſtibus ſimiles adſtantium ordines in hac omnium maxime ſolenni ſede Apoſtolica te collatum inſpicio, nihil aliud profecto quàm ſupernam illam in terris maieſtatem uideor admirari. Sed uideo tandem, mè, Pontifex Beatiſsime, iuuenili quadam audacia præcipitem eum curſum iniiſſe, quẽ tenere ulla ratione uix quiſquam poteſt. ſum enim tanquã in mare profundum & immenſum in earum rerum explicationem ingreſſus, quarum altitudine omnis humana dicendi ratio atque facultas obrui facile poſſet. Quid autem dico humanam? Cælites (me Hercule) ipſi, quorum eſt ſumma uis, infinita poteſtas, uix illo genere orationis, cæleſti, atque diuino, de tantis rebus pro dignitate differere potuiſſent. tantum abeſt ut lingua mortalis, impuris ſermonibus inquinata, dignitatem tantam complecti oratione queat. incutiunt hæc omnia mentibus admirationem, opprimunt magnitudine ſua cogitationes humanas, linguam timidam & hæſitantem reddunt. Sed iam hæc, quæ pro ſua dignitate perſequi eſſet infinitum, omnino prætermittam, ut ad inſtitutum, cur ad ſanctiſsimos pedes tuos me receperim, gradum facere poſsim. Cum Eſtenſis Familia, quæ uel Ferrarienſi, Comaclenſi, Flaminiæq; ditionibus longo iam ante tempore præeſt, huius ſedis

ſedis ſemper obſequentiſsima fuerit, maiorum ſuorum ueſtigia Hercules perſequutus, te uerum patronum, te primarium ſuum Principem agnoſcit, atque omne obſequium, omne officii genus, omne munus fidelitatis tibi & huic ſanctæ ſedi Apoſtolicæ præſtat, teq; cæleſtis uitæ ianitorem ſumma, quoad uixerit, obſeruantia proſequuturum, & pro tuæ ſanctitatis feliciſsimo ſtatu, nullum periculi, nullum laboris aut difficultatis genus recuſaturũ pollicetur, ſperans ſe inter ceteros ſedis Apoſtolicæ clientes quietiſsimum ſtatum ſub feliciſsimo hoc tuo imperio, &, ut rectius dicam, aureum ſeculum aſſequuturum. nihil enim à te uidemus niſi ſanctum, ſingulari iuſtitia maximaq; animi moderatione, agi, inſtitui, diſponi. Hinc lætatur & exultat Chriſtiana reſpublica, & præter ceteras urbes Ferraria undique lætitia, & plauſu triumphat: uiæ & uici omnes gaudio cumulantur. quid referam dies feſtos accepto tuæ creationis nuncio inſtitutos? quid ſacerdotum per urbem compoſitos comitante uniuerſo populo triumphos? Quid campanarum tinnitus? quid muſicorum inſtrumentorum ſuauiſsimos ſonitus? quid tubarum clangores? Quid tormentorum immenſos reboatus? quid creberrimorum ignium ante omnes ædes in compitis, in plateis, per totam urbem legitimos lætiſsimosq; ſplendores? quid portarum urbanarum, quid ianuarum priuatarum cum tuis inſignibus exornationes? quid denique multorum carcere detentorum relaxationes? quid memorem infinitas uoces, iuuenumq; ſenumq; nocte dieq; clamantium io triumphe, io triumphe? crediderim ſane ipſum quoque Regem Eridanum lætum caput ab undis extuliſſe. quid in omnibus templis laudationes? gratiarum actiones utriuſque ſexus Deum laudantis, qui tali optatiſsimo munere Ferrariam donarit, qui te Principem tantæ benignitatis ac clementiæ conſtituerit: quem omnes clamant, omnes fore credunt, qui pacem in primis ac concordiam inter Principes conſeruet: qui tandem ſeculis noſtris deſideratam illam, nec antea ſperatam felicitatem

felicitatẽm præſtet. O ergo felicem tanto alumno Etruriam. o fortunatam Italiam. o tanto antiſtite feliciſsimum orbem terrarum. o nos beatos, quibus te Pontifice maximo contigit & uiuere, & abs te gubernari. Reliquum eſt Pontificum maxime, ut quando in uno te tot bona ſita ſunt, & te uno pendet ſalus orbis uniuerſi, tuæ incolumitati conſulas, quæ non ſolum tua eſt, ſed ipſius Herculis, Principis mei, immo totius Italiæ: felicitateq; iſta tua pontificia, & dignitate, qua proxime ad Deum immortalem accedis, cum æternitate frui poſsis. te enim ſaluo, ſalua ſunt omnia, ſalua inquam Italia, ſalua religio, fides integra, integri omnium animi; omnia denique fauſta, omnia pulchra, omnia fortunata, felicitatis & gloriæ plena permanebunt: tecum uigebunt illa, quæ decus ac dignitatem, quæ hominum generi quietem, otiumq; pariunt. tecum florebit uirtus, & honeſtas. tecum erimus, conditione uitæ mortales, ſtatu rerum, omniq; affluentia diuini. quæ cum uideas, conſerua nos in te ipſo, quando tibi, ut conſeruare ac tueri nos unus poſſes, ſummus Deus pro ſua erga nos benignitate conceſsit.

AD FRANCISCVM VENERIVM VENETORVM PRINCIPEM.

CVM nuper iucundiſsimus, & idem optatiſſimus ad Herculem, Ferrarienſium Principẽ, nuncius attuliſſet, Franciſce Princeps ampliſſime, te certantibus ſtudiis, & mirabili horum procerum conſenſu; quorum eſt, Adriatici ſinus optimum nauarchum, rectoremq; deligere; ad ſummum principatus faſtigium delectum fuiſſe, commiſſasq; tibi huius urbis habenas: tanta ſtatim lætitia affectus eſt, ut non ſolum Princeps meus ipſe, uerum & ipſi quodam modo Ferrarienſium parietes, ipſa urbis Ferrariæ mœnia, lætitia perfundi, & uoluptate incredibili cum Venetis ipſis geſtire uiderentur. Sed, cum ad explicandam tanti gaudii magnitudinem, & ad laudes tuas celebrandas nulla mihi ſatis apta ſuppetere poſsit oratio; magna me tenet admiratio, cur Hercules, Princeps meus, me, hominem puſilli ingenii, cuius eloquentia, dicendiq; exercitatio prope nulla eſt, ut minime cum hoc nouo & inuſitato dicendi genere conueniat, quod ſummos oratores ac ueteranos perturbare conſueuit, ſubleuandum non cenſuerit. nam quis orator tam ſui compos, tam memor, tamq; tranquillæ, ac compoſitæ mentis fuerit, qui coram Venetorum Principe, in throno tantæ maieſtatis ſedente, in tam florenti, ſplendidiſsimoq; excellentiſsimorũ procerum ſenatu, quos mihi uidere uideor tot Curios, Catones, Torquatos, tanto muneri ſatis conſtanter, ſatisq; digne ſit facturus? non ignoro quid hic locus, quid hæc concio, quid tanta dignitas poſtulet: & in hoc munere obeundo quot ſummos oratores, & philoſophos, qui ſummam in dicendo gloriam aſſecuti ſunt, ſuſcepti laboris aliquando pœnituerit. quo fit ut tota mente hæſitem, totoq; pectore contremiſcam, ueritus, ne, dum Herculis mei Principis mandata exequor, minus amplitudini tuæ, minus huius auguſti, & ampliſsimi loci

loci dignitati, minus etiam ipſi meo Principi ſatisfaciam. ſed cum incredibilem manſuetudinem tuam, innatamq; humanitatem conſidero, qua ceteros mortales facile antecellis, quamq; in me ipſo iam paucis ab hinc diebus expertus ſum, & qua humiles etiam homines, pro tua benignitate ac naturali facilitate, æquo animo ſemper audire conſueuiſti, recipio animum, uiresq; ſemiſopitas excito: ut Xenophon ille Socraticus: qui cum Ageſilaum, Lacedæmoniorum regem, domi foriſq; præclariſsimum pro dignitate laudare ſatis commode non poſſet, quòd res illius non ita eſſent obſcuræ, non ita dubiæ, ut teſtimonium deſiderarent; nihilo tamen ſecius id ſibi muneris ſuſcipiendum exiſtimauit. cuius nos exemplo auctoritateq; confirmati, nullo timore cymbam noſtram ingenti huic pelago credemus, uelaq; uentis dabimus ferenda, cum ea ſpe, ut aliquando in portũ inuehamur. Multæ fuerunt cauſæ, Sereniſsime Princeps, cur Hercules, Ferrarienſium Princeps, tantopere ſit lætatus: hæ tamen præcipuæ uiſæ ſunt, prima illa, & omnium potiſsima, id quod Venetæ urbis uiri præſtantes pariter iudicarunt, neminem alium hac tempeſtate Venetorum Principem eligi potuiſſe, cui huius reipublicæ gubernaculum, ipſiusq; maris Adriatici, melius ac tutius crederetur, quàm tibi; in quo fulgent prudentia, iuſtitia, religio, fides, pietas, fortitudo, animi magnitudo, æquitas, ſummaq; rerum omnium experientia, liberalitas, clementia, & omne deniq; uirtutum genus, quas cuiusque honeſtus animus deſiderare poteſt, à quo nihil, niſi ſanctum, ſummaq; animi moderatione actum, diſpoſitum ue dici poteſt: quæ quidem ad huius culminis ſedem uiam tibi parauere, ad felicitatem aditum tibi ſtruxere. ad hunc gradum, quouis patriæ tuæ ſublimiorem, & auguſtiorem, Franciſce Princeps ampliſsime, diuino quippe beneficio, & munere potius, quàm humano es prouectus conſilio: ut ſcilicet tam grandem nauim in hoc etiam tam uaſto mari regeres, Venetorumq; imperium conſeruares, erigeres, exornares, tuæq;

tuæq; prudentiæ ceteros Italiæ populos ab omni ui barbarica protegeres; diſſidentesq; inter ſe Reges, ac Principes, auctoritate tua componeres, prudentiaq; tua, qua omnes uincis, ad concordiam pacemq; redigeres: ut, te Principe ampliſsimo, uniuerſa Italia in te sperans, tranquilla, ac pacata regeretur, ætatisq; noſtræ quietiſsimum ſtatum, aureumq; ſeculum tranſigeremus. quod præſagire iam diu uiſus eſt, ſanctæ & immortalis memoriæ Leonardus Lauretanus, auus tuus maternus, olim Princeps doctiſsimus, ſapientiſsimus, & acerrimus hominum æſtimator, cuius res geſtas, & benefacta nulla dies unquam obſcurabit, nulla delebit obliuio. Hic inquam Leonardus hæc præſagire uiſus eſt, cum te in Senatu penes ſe ab eius ſorore inſtitui curaſſet, teq; paruulum Principem, ueluti eius ſucceſſorem, uocitaret. Præuiderat profecto Princeps ille iam futuros tuos in negotiis labores, in periculis fortitudinem, in agendo induſtriam, in conficiendo celeritatem, in prouidendo conſilium. Præuiderat & auia tua materna, cum in diſceſſu ſuo ab aula hac regia ob funus ipſius Lauretani Principis, pileum cornuq; Regium ſeruaſſet, eo probe augurio, ut eo in poſterum utereris. cuius prouidæ uetulæ oraculum proceſſu temporis in animos omnium lætitiam ingentem iniecit, ut te poſtmodum omnes ciues, uix dum Senatorum aſcriptum numero, pro eorum Principe haberent oſſeruarentq;, ſentientes præter cetera, iampridem ex Venerio-rum familia, quæ tot iam ſeculis, inter nobiliſsimas, antiquiſsimas huius urbis domos quaſi ſol ſemper illuxit, alios uiros clariſsimos, atque omni laudum genere ornatiſsimos fuiſſe: & inter alios ad Principatum euectum Antonium Venerium, in quo tantus fuit ſanctitatis, doctrinæ, uirtutumq; omnium cumulus, ac ſplendor, ut ea hic illibata, potiusq; prætermittenda cenſeam: quum ſit cælum undique, & undique Pontus, & uaſtum maris æquor arandum. quod cymba mea, exiguis lacubus ludere ſolita, tantam rerum magnitudinem & quaſi fluctus intuens, ag-

gredi pertimeſcat, cum nec ualeam illius merita uerbis adæquare. Merito ergo in illa tua Romana legatione Paulus Pontifex maximus, non ſolum auſpicato, ſed ipſe etiam augur optimus te conſeruatorem, ornatorem, illuſtratorem, amplificatorem, patriæq; Principem iamdudum ſalutauit, atque obſeruauit. quis igitur non credat te à ſuperis ad hunc ſummi Principatus apicem de induſtria, ut ita dixerim, reſeruatum? Altera deinde immenſæ lætitiæ cauſa & uera, & honeſtiſsima fuit, ſingularis in te ipſum ardentiſſimus mei Principis amor, cum ob ueterem amicitiam, quam tu non ſolum mutua beneuolentia promeritus es, ue rum innumeris & immenſis officiis, & priuatim & publice collatis, auxiſti; tum & ob raras animi tui dotes, quas paſſim decantari audierat. quis enim, quo tempore ſiue Vtinenſem, Brixienſem, Veronenſem, ſiue Patauinam ditiones gubernaris, tuam operam, ac æquitatem unquam expetiit, cui ſumma humanitate non affueris? quis fortunæ, ut fit, fluctibus agitatus, aut iniuriis lacesſitus, opem tuam hactenus implorauit, cui promptiſsime auxilium non præſtiteris? multis etiam non petentibus ultro ſuppetias tuliſti. quot calamitoſi tuis ſubleuati beneficiis? quot tuis opibus ac ſtudiis honeſtati? quot tuæ liberalitatis, & clementiæ extant monimenta? Eam uero, quam per id tempus agebas, humanitatem non ſolum conſeruaſti, uerum etiam mirum in modum auxiſti. Hæc faciunt ut nemo aliquid apud Sublimitatem tuam promereri uoluerit, qui triſtis re non impetrata diſceſſerit. Patēt benigniſsime aures tuæ, magnis & paruulis promiſcuæ, omniumq; hominum genus te non modo Venetorum Principem, ſed tanquam clementiſsimū patrem alloqui poteſt. & quanquam iſta ſint maxima, & tanto Principe digna, inter tamen excellentes laudes tuas nulla profecto illuſtrior, nulla laudabilior, quàm quòd prodeſſe uelis, ut conſueuiſti, quamplurimis. & in omne hominum genus beneficia conferre, optabile potius, quàm laudabile eſt: uelle autem, cum poſsis, eximia laude digniſsimum. hac enim

enim una re in hoc principatu collocati ad diuinam ſimilitudinem proxime accedere uidentur, hos intueri, hos admirari, hos ſupra omnes merito bonos dicere, ſemideosq; appellare, ipſiq; Deo immortali ſimillimos iudicare debemus. Nam, ut refert Anneus Seneca, ſumma pecunia, ingentesq; theſauri Deo nos ſimiles non faciunt: Deus enim pecunia non gaudet: non prætexta: Deus enim ſimplex eſt: non fama aut oſtentatio: Deum enim nemo nouit: non turba ſeruorum hexaphoro, uel decaphoro portantium: Deus enim ille maximus potentiſsimusq; omnia uehit, omnia ſuſtinet: non forma quidem, & uires: quoniam nihil eſt horum, quod uetuſtatem non patiatur. Quid ergo Deo nos ſimiles reddit? animus, ſed animus rectus, magnus, munificus, liberalis, ac integer, nulli nocens, omnibus benefaciens. quid aliud hunc uoces, quàm Deum in humano corpore hoſpitantem? Iulius Cæſar, poſtquam imperium adeptus eſt, gloriabatur, quòd eum gradum aſcendiſſet, unde omnibus benigne faciendi facultas præſtaretur. in quo imitabatur Cyrū illum, præſtantiſsimum Regem Perſarum, dicere ſolitum, nullum tam proprium Regis officium, quàm hominibus humanitatem præſtare. proceſsit inde eò uſque celebritas tua in adminiſtratione tanti principatus, ut iam non tam de ipſo principatu, quā de rebus, per te ſapientiſsime feliciſsimeq; geſtis, patria tua iure lætetur. & ut omittam cetera, quæ ingentia certe præclaraq; ſunt, tam breui, & prope in ipſo principatus limine, amicitias maximorum Regum, celeberrimarum ciuitatum, omnium deniq; Chriſtianorum Principum, ita conciliaſti tibi, ut nemo alius ante te ita illuſtraſſe principatum, & auctoritatem Adriatici imperii firmaſſe uideatur. His accedit pietas, religio, ſumma erga Deum obſeruantia, quā in omni ætate, publicis in muneribus, priuatis in rebus oſtendiſti. Taceo infinita cum tuæ in ſuperos religionis, tum in homines beneficentiæ monimenta, quæ à te, dum eſſes in hoc ſenatorio ordine, profluxere: quæ nulla ætas conticeſcet, quæ excipiet tradetq; inuicem ſequentibus ſe-

culis infinita posteritas. Merito sane non modo Princeps meus hoc tuo imperio, uerum & tota Italia gloriatur, sperans te tanto plura, & longe maiora facturum, quanto altiorem gradum te uidet ascendisse, ubi maxima bene faciendi præstatur facultas. O felicem ergo tanto ciue rempublicam, o fortunatum Adriaticum sinum, o tanto Principe beatam urbem. nihil enim optabilius, quàm te principe uiuere, te principe gubernari, tuis institutis, tuis exemplis ad eximiam laudem erudiri, ad certissimam æternæ illius uitæ spem extolli. Lætatur summopere & exultat tota Italia tali Principis creatione, interq; alias urbes præcipua, & incomparabilia merito sentit gaudia patria tua, cuius è uisceribus in hanc lucem talis ac tantus futurus prodiisti, quam semper pro integritate tua æque caram, ac uitam habuisti: quæ te alumno, te benefactore iam maximo gloriatur. hæc, inquam, innumera excellentis lætitiæ signa protulit, in diesq; proferre non cessat; Deoq; optimo immortales gratias agit, qui æterna sua prouidentia talem sibi & tantũ parentem assignare uoluerit. Te igitur uiæ, uici, te fora, te porticus, te theatra, Franciscum Venerium exclamant, fores, limina, parietes gestire uidentur. postremo, Hercules Ferrariensium Princeps, uti eximii huius imperii filius addictissimus, te principe creato hos ad te legatos misit, tibi gratulatur, te unum patrem colit, admiratur, obseruat, tibi omnium Ferrariensium sinceras mentes, constantissimos animos erga te offert. existimet tua Serenitas Herculem ipsum nunc loqui: existimet Ferrariensem populum sine ætatis, sexus, ordinisq; discrimine nunc adesse uniuersum, tibi omni ex parte gratulantem, &, si fieri posset, huc accessisse, atque isthæc ipsa, Paulo tamen copiosius elegantiusq;, dixisse. hoc tu facile, opinor, pro tua prudentia iudicabis, pro bonitate credes, pro humanitate animo ac mente tuèberis, atque custodies.

De

DE ORTV CHRISTI.

CVM & alia permulta maiores nostri præclarissime, tum summa illud sapientia uidentur institutum reliquisse, ut uirorum, qui bene de rep. fuissent meriti, natalem diem agerent, & memoriã eorum præconio solenni celebrarent. sic enim fore intelligebant, ut ipsi à turpissima ingrati animi labe abesse uiderentur; alii cupiditate laudum ad uirtutis & beneficentiæ splendorem atq; decus inflammarentur. Verum, ut exempla transmarina, quæq; à multorum seculorum memoria longissimo distant interuallo, missa faciam, Roma illa, orbis terrarũ dominatrix, kalendas Martias, quòd eo die natum crederet Romulum, qui fundamenta imperii iecisset, ad tantaq; rerum incrementa semina dedisset, quanta cum religione celebrabat? quanta Nonas Ianuarias, quòd ea die Ser. Tullius in lucem editus existimaretur? atque ut temporibus nostris uiciniora proferamus exempla; Octauius ille Augustus, qui Cæsarem Iulium, nefaria & scelerata coniuratione in senatu oppressum, grauiter est ultus, futuri principatus pariter parentis Iulii natalem maximis honoribus atque cumulatissima liberalitate magnifice decorauit. quæ quidem consuetudo tanta deinde obseruatione inualuit, ut & promiscue cuiuscunque cõditionis atq; fortunæ homines uitæ suæ auspicia, atque natalem non uno sacri genere pro suis facultatibus, inuocato prius genio, cui nascentes committi arbitrabantur, ad reintegrandam eius lucis memoriam, quam primam inspexerint, diuersis rationibus honorifice cœperint ornare. Quòd si illi mortalibus, & iis, qui, uel ambitione, uel cupiditate alia impulsi, publice profuerunt, in eorum tamen recolenda memoria, natalibusq; celebrandis diuinos illis honores tribuerunt: quid nobis, qui ab inani superstitionis caligine remoti, in uerissimæ religionis luce uersamur, & qui Christum, uere Deum, uitæ, salutis, libertatis nostræ, bonorum

norum denique omnium, ſummæq; felicitatis fontem, & auctorem eſſe, perſuaſum habemus. quid, inquam, nobis agendum eſt? uerum in tam ubere multipliciq; rerum copia, unde primum ordienda oratio, uel ubi poſtremo terminanda, & in quo nullum principium, nullusq; finis reperitur, de eo cum ſit agendum hodie; quis facile inueniat, humanis uiribus fretus, uel initium, uel exitum dicendi? ſed, quoniam optima me tenet ſpes, quæ ipſe per me nequeo, ſpiritum iuſs, qui omnia poteſt, & cuius res agitur, facile ſuggeſturum; confirmata iam ingenii mei imbecillitate, aggrediar ad cauſam, magnam ſane, & arduam, omniumq; longe difficillimam. quid enim ſublimius, quid homini difficilius, quàm cælos penetrare, mentem & uoluntatem Dei perſcrutari, & arcana eius conſilia euoluere? quid tam incredibile, ac ſupra omnem mortalium opinionem, quàm, Deum fieri hominem, & Regum Regem, excelſa illa maieſtate abſcondita, perſonam ſerui ſumere, cælo delapſum, inter paſtores, inter iumenta in præſepe naſci? quid denique monſtro ac portento ſimilius, quàm eundem uitam immortalem cum mortali, beatiſsimam cũ miſerrima, ſplendorem ſummæ gloriæ cum obſcuriſsima atq; abiectiſsima fortuna commutare? atque hæc omnia inimicorum cauſa (tanta uis, tantus ardor amoris in eo fuit) pati ac ſuſtinere? Quare, cum tanta res hodierno agenda ſit die; non alienum fuerit, principium dicendi altius ducere, diuinæq; huius liberalitatis cauſas explicare. ita fiet, ut & ſumma Dei benignitas, atque miſericordia melius innoteſcat; & nati hodie Chriſti maximum ac ſalutare beneficium clarius oſtendatur; &, quæ gratiæ, quæ laudes ei debeantur, aperte cognoſcatur. nam, cum æternus ille Deus, ſupremus Rex, & omnium rerum parens, probitatis, poteſtatisq; ſuæ ſpecimen dare conſtituiſſet, molem hanc mundi totius admirabilem diuina quadam, & ſibi inſita ui ex nihilo creauit: quam excellenti ſua ſapientia ita digeſsit, ut eas

ut eas naturas, quæ uidebantur inter ſe contrariæ, concordi pace, & uinculo inſociabili uinxerit, & colligarit; ac terram infimam in media totius operis ſede, florum, herbarum, frugum, arborum uarietate ueſtitam, excelſa altitudine montium erectam, ſtratam immenſa camporum planitie, fontium, fluminum perenni curſu rigatam, & diuerſis beſtiarum generibus, tam cicurum, quàm ferarum, refertam, collocarit; eam deinde mari cinxerit, in quo tot genera, tamq; diſparia piſcium, belluarumq; alia ſubmerſa, alia fluctuantia, & innatantia, partim etiam ad ſaxa natiuis teſtis inhærentia, cernantur. Aerem exinde mari finitimum adiunxit: qui die nocteq; diſtinguitur; & modo fuſus, & attenuatus in ſublime fertur, modo concretus in nubes, humoremq; colligens, terram auget imbribus; idemq; effluens huc & illuc, uentos efficit; annuas frigorum calorumq; facit uarietates; & uolatus alitum ſuſtinet: cuius cum extremitate ultimum æthera coniunxit, ſummum ſcilicet, & à noſtris domiciliis altiſsimum, ſed qui tenuitate, caloreq; ſuo finitimum aera ita temperet, ut, quòd uitalem inde, ſalutaremq; ſpiritum hauriant animantes, id fieri eius beneficio ac munere intelligatur. Has autem naturas extrema ora, & quaſi quibuſdam mundi finibus circundedit, atque coercuit, cæli uidelicet complexu. in quo quis non miretur tot formas aſtrorum igneas, eorumq; curſus? ex quibus Sol, qui ſua magnitudine terram multis partibus ſuperat, dum circum eam ipſam uoluitur, modo ortu, & occaſu ſuo diem noctemq; affert, modo acceſſu & receſſu frigora, caloresq;, & ea duo tempora, quorum alterum hyemi ſeneſcenti, alterum æſtati adiunctum eſt. Luna uero ſpatiis menſtruis annuos Solis curſus conſequitur. Quid dicam de ceteris quinque ſtellis, deq; earum admirabili motu, quæ falſo uocantur errantes? nihil enim errat, quod ſuo certo ordine conſeruat progreſſus, & regreſſus, reliquosq; motus conſtantes, & ratos. Atque hæc omnia cum rerum cunctarum ille ſator & creator Deus hominum cauſa creauerit, ad extremum

tremum hominem ipſum finxit, qui mundum, & ornatum iſtum ſuſpiceret, atque contemplaretur, eiuſq; opificem admiraretur, ac ueneraretur: eumq; hominẽ ſui perquam ſimilem fecit. nam & corpus eius ita condidit, ut neque morbis, neque ſenectute affligeretur: & animum iuſtitia, ueritate, pietate, miſericordia, ſanctitate, omni denique uirtutum genere ornauit. quem, cumulatum tantis muneribus, in amœniſsimo deliciarum horto, uariis arborum generibus conſito, collocauit. Sed, cum inter alias arbores ea etiam numeraretur, quæ uitæ ac ſcientiæ boni & mali dicebatur; ceterarum fructibus ut ueſceretur, ei facile permiſit; ab hac una abſtineret, graui propoſita pœna, interdixit: futurum enim, ut, quocunque die guſtaſſet fructum eius, morte moreretur. at ille, tantæ felicitatis impatiens, cum nudus nec algeret frigore, nec æſtuaret calore, nec uictus penuria maceraretur, morborumq; nullam peſtiferam uim experiretur, ut pote qui perpetua minimeq; interrupta incolumitate frueretur, à muliere, uitæ ſocia, quam ſerpentis aſtutia ſeduxerat, impulſus, auſus eſt uxorios affectus diuino edicto præferre, fructumq; tanta pœnæ cõminatione uetitum guſtare. nec mora; guſtato pomo particeps quodam modo immortalitatis corpus, delictum pœna ſequente, morti fit obnoxium: id quod etiam Sibylla diuino afflata ſpiritu cecinit in illis carminibus:

Ανθρώπον πεπλάσθαι θεῦ παλάμαις ἐνὶ αὐταῖς,
ὅντε πλανήσεν ὄφις δολίως ὅτι μοῖραν ἀνελθεῖν
Τῦ θανάτου, γνῶσίν τε λαβεῖν ἀγαθοῦ τε, κακοῦ τε.

Nec ſola morte multatur ob diuinæ legis inobedientiam, ſed multa uariaq; malorum agmina turmatim hominem inuaſerunt, quæ corpus animumq; aſsidue infeſtarent, atque affligerent. ita, dum Deo ſimilis eſſe temere affectat, miſerrimus ille humani generis auctor in fædiſsimam deuoluitur calamitatem; dum boni à malo diſcrimen cognoſcere ſtudet, nobiliſsima ſua ſcientia, quæ præcellens parum ab angelis aberat, exuitur, innocentiæ ornatu ſpoliatur, pro

fauſtis

fauſtis infauſtas uoces execrationesq; audit: quarum uires etiamnum quotidie cum magno noſtro malo experimur: ex patria in exilium, ex ſolo uberrimo in terram ſentes, tribulos, lolium, atque id genus alia ferentem, uterque pellitur, amariſsime ſenſurus quantis bonis exciderit, quantas uiciſsim in ærumnas miſer inciderit. ſed, ut eſt diuina iuſtitia benignitate magna ſemper temperata, non tulit Deus eos diutius his malis conflictari; ſed, miſeratione ductus, uiam rationemq; inuenit, qua in amiſſam bonorum poſſeſsionem reſtituerentur; & ex crudeli dominatu, teterrimaq; ſeruitute in libertatem priſtinam aſſererentur. ſtatuit itaque ſerendas inimicitias inter ſerpentem, & mulierem: &, comminutum iri ſerpentis caput à ſemine mulieris, promittit. atque hoc quidem ſemen eſt ſeruator ille noſter Ieſus Chriſtus: de quo læta canit Eccleſia, Paruulus datus eſt nobis, & filius natus eſt nobis. At illi, erecti hac ſpe, confirmatiq;, ad procreandæ ſobolis curam ſeſe dederunt: quæ quidem late propagata, quaſi non ſenſiſſet, quantũ damni temeritas parentibus ipſis primum attuliſſet, à ſummo rerum omnium opifice ad perennem humani generis hoſtem rurſus turpiſsime defecit, eiq; ſe in miſeram ſeruitutem prorſus dedidit. ergo indignatus Dominus, uelut pœnitentia humani generis conditi ductus, delendum id omnino, ac funditus tollendum iudicauit. quis porro eſt, cuius aures eluuio illa totius pene naturæ interitus effugiat? quis illam ignorat aquarum uim, quæ nulli ætati, nulli ſexui pepercit? & tamen ne tunc quidem ille miſericordiarũ pater ſui oblitus eſt, ſed recordatus fœderis, quod iam pepigerat, promiſsiones ſuas uoluit ratas eſſe. quare per Noe, uirum ſanctum, eiusq; filios, quos in arca ſolos ſeruauerat, genus humanum denuo curat inſtaurari. quorum ſuſcepta proles, ut ſunt humanæ res, quæ ſemper in deterius labuntur, neglectis maiorum ſuorum exemplis, Deiq; beneficiorum immemores, in omne nefarium ſcelus atque impium prorupit. proinde ſator ille & conſeruator rerum

O omnium,

omnium, ut, quoquo modo fieri poterat, benignitatem suã hominibus testatam relinqueret, Patriarchas, uiros summos, misit, uitæ innocentia pietateq; præstantes, qui non oratione tantum, sed exemplo etiam errantem hominum turbam corrigerent, & ad ueri Dei cultum reuocarent. At, crescente in dies improbitate hominum, cum ne hos quidem peruersa multitudo audiret, mutata ratione elegit ille, qui cuncta condidit, ex omni hominum confusa congerie gentem peculiarem, quæ sibi dilecta in primis caraq; foret: eiq; Mosem, uirum optimum, atque sapientissimum, præfecit, qui auctoritate regeret, ac morum sanctitate ad puram religionem, iustosq; supremi numinis honores inuitaret. quæ tamen & ipsa ingratissima continuo reperta est. nam, cum plurimis maximisq; beneficiis eam ornasset; grauissima Pharaonis seruitute liberasset; Aegypto eduxisset; dux ipse itineris, nube circundatus, maria aperuisset; hostium copias cum ipso imperatore demersisset; in deserto denique eam pauisset, atque saturasset: tamen, dum Moses in monte Sina legem ab eo accipit, ipsa, neglecto uero & immortali Deo, ad insanum idolorum cultum declinauit. columnam enim erexit, cuius superiori parti uitulus insidebat aureus, Apim Aegyptium referens, quẽ ludens, choreasq; ductitans ebria dissolutaq; turba adoraret. missas facio frequentes eius obtrectationes in Mosem, & furiosos conatus, in ipsum terrarum, marium, cælorumq; dominum, & Regem rerum cunctarum: ut minime mirandum sit, si ex sexcentis millibus, qui ex Aegypto discesserant, duo tantum capita promissa ditione potirentur. tantis ac tot suppliciis hæc gens à Deo lacessito grauiter est affecta. Ceterum Deus, intelligens, quid fides, quid lenitas, beneficentia, immẽsa denique sua postularet bonitas, quanquam populi istius rebellionem contumaciamq; bene cognitam atque perspectam iam haberet, qui salutare suæ legis iugum ab eius ceruice toties excussum animaduertisset; complures tamen adhuc mittit uates, innocentia pietateq; insignes,

insignes, qui populum errantem à scelere, atque sordibus flagitiorum reuocarent, & ad nouum uitæ genus, superiorum delictorum uenia petita, inuitaret: quos ille non solum ea, qua debuit humanitate, non accepit, sed uariis affectos cruciatibus, atque suppliciis per summam crudelitatem excarnificauit. Postremo, id quod omnem benignitatis caritatisq; cumulum exuperat, unigenitum filium suum, ipsam patris sapientiam, diuinæ maiestatis consortem, de cælo labi iussit, qui non solum eius populi, sed gentium & nationum cunctarum dux, doctor, seruatorq; foret. intelligebat enim, homines eius uoluntati atque præceptis obtemperare nullo modo posse, cuius inimici nascerentur, nisi ratio inueniretur, qua gratiam, amissam primi parentis culpa, recuperarent. inuenit rationem pater optimus, atque misericors: at quam rationem? filium unicum cælo demittit: Deum forma hominis induit. qui pati non poterat, ei omnia perpetienda, æstus, frigora, famem, sitim, & ceteras id genus accerbitates, statuit. o infandam bonitatem, o clementiam uere diuinam, o liberalitatem sempiternæ mandandam memoriæ, & omnium sermone celebrandam. Magnum erat sane, & honorificum, populo, quem sibi delegerat, præcipue fauere, eumq; omnino saluum uelle: at pro iis, qui destituti prorsus, & sine Deo putabantur, & ad quos non fœdus, non oracula, non leges pertinere uidebantur, pro iis, inquam, filium unicum de cælo in terras mittere, serui personam imponere, durissima quæque toleranda ei proponere, hoc uero non terrestre, non humanum, non regium, sed cæleste, immortale, ac diuinum fuit. De hac gentium salute cũ alii prophetæ multa, tum Dauid uates illud cecinit, ubi Christum cum patre facit loquentem: Constituis me caput gentium: populus, quem non noui; seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Huc faciunt & hæc sane uerba: Venio colligere omnes gentes, & linguas: & ueniunt, & uidebunt claritatem meam: & mittam super eos signum: & mittam ex

his conſeruatos in gentes, quæ longe ſunt, & non audierunt gloriam, & nunciabunt claritatem meam in gentes. Sed, ut ad rem redeam, oportuit hunc Dei filium, qui ante cælos conditos una cum patre regnabat, hominẽ fieri carnemq; induere, ut homini, cui ducem & doctorem ſe deſtinauerat, ſimilis eſſet, & humanæ infirmitatis ſenſu afficeretur. non enim, inquit Apoſtolus, habemus pontificem, qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris, tentandum per omnia per ſimilitudinem abſque peccato. Ita tamen homo factus eſt, ut ſimul diuinitatem coniunctam humanitati retineret, mediam quandam gerens inter Deum & hominem naturam, ſpiritu Dei filius, hominis carne factus. Verum, quia diuinum hunc ortum, orbi terrarũ ſalutarem, plurima prædixerunt uatum oracula, operæpretium erit fortaſſe pauca ex multis recenſere. Solomon multo ante ad hunc cecinit modum: Infirmatus eſt uterus uirginis, & accepit fœtum, & grauata eſt, & facta eſt in multa miſeratione mater, & uirgo. Huic diſsimile non eſt, quod gratulabundus exclamat Eſaias: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel. & alibi: Ipſi autem non crediderunt, & exacerbauerunt ſpiritum ſanctum, & conuerſus eſt eis ad inimicitiam, & ipſe expugnauit, & recordatus eſt dierum ſeculi, qui ſuſcitauit paſtorem de terra ouium. quis autem hic futurus ſit paſtor, alibi declarat dicens: Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet ſaluatorem. ego enim Dominus Deus creaui eum: idem homo, idem uere Deus extitit: diuina uirtus in operibus eius eluxit: hominem arguit humana imbecillitas, & fragilitas. Id ita eſſe, apertiſsime teſtantur prophetarum oracula de diuinitate eius concionantes: Fatigata eſt Aegyptus, & negociatio Aethiopum, & Saba uiri alti ad te tranſgrediuntur, & tui erunt ſerui, & poſt te ambulabunt, iuncti compedibus adorabunt, & te deprecabuntur: quoniam in te Deus eſt, & non eſt alius Deus præter te: tu enim Deus es, & neſciebamus, Deus Iſrael ſaluator. Hieremias ita

ita de natura humana; Et homo eſt, & quis cognouit eum? rurſum Eſaias: Et mittet Deus eis hominem, & ſaluabit eos, indicans ſanabit eos. Nec alienum eſt ab his, quod conſultus Mileſius Apollo, Chriſtus Deus ne, an homo fuerit, reſpondit:

Θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα σοφὸς γεραιτό δ' ἐσιν ἔργοις,
Ἀλλ' ἐπὶ γαλδαίαν κριτῶν ὅπλοις συλληφθείς,
Γόμφοις, καὶ σκολιῇσι πικρὴν ἀνέτλητε τελευτήν.

quo ſane reſponſo, ambigue prolato, uerum obſcure expreſsit, aſtute ad impoſturam uera falſis cõmiſcens. Ex his itaque liquide conſtat, ſeruatorem noſtrum, non ſemel piis uiris, ad ſpiritus libertatem anhelantibus, promiſſum, de uirgine natum, tum ut æquitatem & iuſtitiam cæleſtem homines doceret, tum ut interitu ſuo nos à morte, cui addicti eramus, uindicaret, uitam ab inferis excitatus repararet, de diabolo atque peccato triumpharet. Explicaui cauſas diuinæ liberalitatis, & ſalutaris huius ortus, quo terrarum orbis redemptus eſt. reſtat, ut non nulla, quæ ad hunc locum faciunt, ex ſacratiſsimis oraculis attingam. Natus eſt Chriſtus, poſteaquam Iuda regno ſpoliatus eſt: id quod oracula diuina fore prædixerant. Non auferetur ſceptrum Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus eſt; & ipſe erit expectatio gentium. Cum Cæſar Auguſtus imperium Romanum obtinebat, orbe terrarum pacatiſsimo, quæ res non ſine diuino conſilio uidetur contigiſſe, ut eo tempore Chriſtus, uerus monarcha, naſceretur, quo cunctæ gentes unum Auguſtum Regem agnoſcebant, plurimum tamen inter hunc & illum interfuit. hic ui & armis ſubiectas ſibi nationes retinebat: ille non ui, non ferro, non ſanguine, ſed ſumma lenitate, aſsidua beneficentia, et ſaluberrima doctrina Euangelii allicit mortales uniuerſos. illius poteſtati, quò Romanorum arma penetrare poterant, ibi tantum obtemperabatur: huius auctoritati ac nutui omnia parent atque obediunt. Illi parta pax externa, et ad tempus: hic pacem animis, & germanam ac perpetuam præbet tran-

tranquillitatem. ille demum ne felicitatem quidem istam, caducam, & fragilem, uel sibi, uel aliis præstare poterat: Christus uenit hodie, ut, præter terrena hæc commoda, ad cælestis etiam uitæ beatæq; societatem suos omnes inuitaret. Natus uero est in ciuitate Bethleem: de qua Micheas uates multo ante cecinerat. Et tu Bethleem terra Iuda nequaquã minima es in Principibus Iuda: ex te aũt prodibit dux, qui regat populum meũ Israel. Matrem habuit Mariã, ante partum, (dictu mirandum) & post partum uirginem: Iosephum nomine tenus patrem, utrunque profectum ex genere Dauidis, qui, præter Abraamum, illustre huius ortus acceperat promissum. is in sacrosanctis suis carminibus diuino numine plenus ita uaticinatur: De fructu uentris tui ponam super sedem tuam: dispposui testamentum electis meis: iuraui Dauid seruo meo usque in æternum: præparabo semen tuum: tunc locutus es in uisione sanctis tuis: dixisti, Posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea: inueni Dauid seruum meũ: oleo sancto meo unxi eũ: semel iuraui in sancto meo: si Dauid mẽtiar: semen eius in æternum manebit. Hoc est igitur promissum semen orbis terrarum seruator, doctor cælestis, dux errantium in tenebris, medicus corporum, & animorum ægrotantium, ac de salute sua desperantium. Primi parentis culpa uitam amiseramus: eam nouus hic Adam nobis restituit. eduxit Moses Iudæos ex Aegypto: noster hic dux, quem referebat ille, ex istis terrarum crassissimis tenebris, miseriisq; nos educit. liberauit ille Iudæos seruitute Pharaonis: liberat hic nos crudelissima diaboli, atque peccati seruitute. atque ille seuerus legislator fuit: comis hic, & facilis. accepit à Deo ille legem: hic tulit de cælo secum. illius denique doctrina non innata ei, neque insita, sed assumpta erat, & aduenticia: in hoc doctore nostro sunt reconditi thesauri omnes sapientiæ, atque scientiæ. ille, æneo serpente erecto, sanabat corpora, tantum quos serpentes momordissent: hic noster nobilissimus, atque diuinus medicus, cæcis uisum, surdis

surdis auditum restituit, pedibus captos ambulare fecit, leprosos mũdauit, mortuos excitauit, animos denique sanauit eorum omnium, qui, ex morsu serpentis diaboli, grauissimo mortiferoq; morbo urgebantur. Noctu nascitur Christus in præsepi, inter iumenta, inter pastores. Attendite, quæso, humilitatem admirandam, quæ ingentem seculis omnibus stuporem afferet. Noctu nascitur Sol iustitiæ; ut tamen noctem istam, densissimamq; peccatorum caliginem radiis atque splendore suo illustraret. non sequitur ille lucem: fugit ambitionis, & honorum auram: nascitur pauperrimus cunctarum rerum conditor, & Regum Rex; ut regno cælorum nos ditaret, demonstraretq; non caduca ista & terrena, quæ nos putamus esse ueras diuitias. nascitur inter abiectos pastores; ut nos doceat, statum & conditionem istam hominum gratissimam sibi esse. Nonne Abel, non Abraam, Isaac, Iacob, duodecim illi Patriarchæ, Moses, atque Dauid pastores omnes fuerunt? & tamen, quid Deo gratius, quid acceptius his fuit? humilibus & abiectis hominibus potissimum se Deus manifestat: his lætum in primis Euangelii nuncium offert. prudentia, & sapientia præstantibus absconditur, paruulis & contemptis reuelatur: detrahit potentes de solio, euehit humiles, & collocat in alto dignitatis gradu. adeo mouet eum, adeo delectat hæc uirtus. itaque infanti Christo, in tanta rerum inopia humilitateq; nato, Angeli de cælo delapsi, Gloria in excelsis deo, in terris pax, in hominibus bona uoluntas, canunt. eum ut colerent, ab Oriente usque sapientes ueniunt; ei aurũ, thus, mirrham offerunt, munera quibus & diuinam maiestatem, & regiam potestatem, & humanam eius fragilitatem indicarent. de eo Esaias uaticinatus est: Paruulus natus est nobis, filiusq; datus est nobis: & factus est principatus super humerum eius, & uocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, heros fortis, pater futuri seculi, princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauidis, & super regnum eius sedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio, & iustitia abhinc usque

uſque in æternum. Hic tantus talisq; Rex generis humani, quod perditum iam erat, miſericordia commotus, & amoris maxima impulſus ui, non dubitauit, abſcondita diuina & immortali maieſtate, ad nos deſcendere, mortalem & caducam induere naturam. Deus homo naſcitur, ut homo filius Dei efficiatur: in terras ille delabitur, ut hic ſublimis ad cælum efferatur: fit ille uilis, & abiectus apud homines, ut clarus & glorioſus apud Deum reddatur. quas igitur ei gratias agamus? quæ unquam dignæ tantis beneficiis poterunt inueniri? quæ laudes pro magnitudine tantorum meritorum excogitari? non hominum ſane, non eſt mortalium, uel gratias agere, uel laudare Deum pro tanta liberalitatis dignitate. cæleſtem ſapientiam, diuinam eloquentiam rei huius magnitudo poſtulat. quæ quoniam in nobis non ſunt, quæ ſaltem ſunt, hæc animis libentiſsimis, qua maxima poſſumus alacritate, ei tribuamus: immenſam patris bonitatem, & clementiam gratiſsima memoria recolamus: filii erga nos caritatem extollamus: ſalutiferum eius ortum celebremus: laudes, atque uirtutes in perpetuum prædicemus: in primis uero fidem tanti ducis & auſpicia ſequamur: ſummum hunc doctorem, atque legislatorem audiamus: præceptis eius pareamus: morum ſanctitatem, quantum eſt in nobis, referamus, atque exprimamus; ut, cum ad tantæ ſpem hereditatis, filii Dei facti, uocati ſimus, peccatis moriamur, iuſtitia uiuamus; diabolum auerſemur, Deo ſeruiamus; immundæ carnis fugiamus illecebras, ſanctiſsimi ſpiritus gratiam amplectamur. Non eſt amplius, qui noſtra imbecillitas nos deterreat. natus eſt nobis dux, fortitudinis, & omnium uirtutum fons, atque origo: qui ſui nos uirtute ſpiritus confirmabit. uiuat modo in nobis, regnet in nobis: ſit noſtrarum rationum, omnium conſiliorum, actionum dux, & moderator Chriſtus. ita demum fiet, ut, terrenis exuti ſpoliis, & grauiſsimo carnis onere depoſito, ad cæleſtem beatamq; ſedem leues hinc euolemus; ubi, cum Deo, & Chriſto indiſſolubili caritatis uinculo deuincti, regnemus in æternum, & in illa maieſtatis gloria, uera ac perpetua felicitate læti perfruamur.

DE CAELIBATV, AD ACADEMICOS FERRARIENSES.

NOVAM, uiri Academici, admodumq; difficilem, atque arduam mihi à uobis commiſſam eſſe prouinciam intelligo. placuit enim uobis (quorum mihi eſt auctoritas antiquiſſima) ut ea de re uerba faciam, quæ, ſi ueritatem ſpectemus, laudem aſſequitur; ſin (quod interdum accidit) male ceſſerit, uere tunc uituperanda, omniq; ratione uidetur eſſe uitanda. nihil enim neque beatius optimo coniugio, neque durius, aut ærumnoſius aduerſo. Atque in hac difficultate, quæ mihi ratio ſit ineunda, quid plane ſit agendum, haud equidem ſatis diſpicio. Quantum enim iis attulero uoluptatis, qui libero lectulo frui cupiunt, eaq; ſolitudine quidquam negant eſſe iucundius, tantum iis præbebo mæroris, qui ſe matrimonii uinculis obſtrinxerunt: admirationis porro non minus apud eos excitabo, qui coniugium nondum nouere, nondumq; genus illud uitæ ſubiere, quod in ſummo ſæpe diſcrimine cum coniuge traducitur. Mouet etiam illud me non mediocriter, quòd hoc argumentum, atque hæc oratio facile me in odium, offenſionemq; ſexus muliebris poterit adducere. ſed rurſus hoc incommodum non nihil ea ratione leuari poſſe ſperandum eſt, quòd ego non dedita opera, neque iudicio meo, ſed iuſſu ueſtro, quibus in omni re morem gerere animum induxi, aggreſſus ſum ad hæc dicenda, quæ fortaſſe alienos à coniugio in ſua ſententia confirmabunt, reliquos autem, ſi qui nondum uxorem duxerunt, à ducenda deterrebunt; maritos uero ita afficient, ut, in quo lætari mirum in modum deberent, in eo ipſo maxime pœniteat, aſsiduaq; forſitan moleſtia contabeſcant. Neque uero me latet, nihil hic eſſe non à peritis antea tractatum. quòd ſi quæ ſunt cum matrimonio coniunctæ curæ, animiq; acerbitates, eas nimirum iis, quibus totum diem cum uxore conterere neceſſe

ceſſe eſt, notiores eſſe, quã mihi, qui mei iuris adhuc ſum, & à me ipſo tantum pendeo, meoq; arbitratu uitam duco. ueruntamen, quantum cogitatione conſequi licet, quantũ legendo perdiſcere, quantum etiam à uobis ipſis non paucis cognoſcere datum fuit, quos audire libenter atque accurate ſoleo, ſatis uideo me multa collegiſſe ueſtris auribus non indigna, uera fortaſſe, aut eiuſmodi ſaltem, ut ſpeciem ueritatis præſeferant. Agendum, inquam, eſt nobis de matrimonio; &, ut ordinem ſequamur eum, quem nobis ratio proponit, ortum eius à fonte repetemus; ut, principiis cognitis, reliqua facilius innoteſcant. Deinde coniugium ipſum examinabimus; & omnes eius partes omni ſtudio atque induſtria perſcrutabimur: quibus facile patebit, nihil eſſe animorũ trãquillitati magis aduerſum, nihil ad præclara ſtudia incõmodius: nihil contra uita cælibe nobilius, ac præſtantius, nec ad laudabilia quæque præſtanda quidquam accõmodatius, eamq; felicitatem(ſi qua poteſt homini contingere)in hac una re eſſe conſtitutam. Vt igitur ab eo principio ordiamur; ſatis conſtat, omnes mortales in aliquem finem intueri; quo propoſito, in actiones incumbunt. hunc autem ultimum finem uno ore omnes & appellant, & conſentiunt perpetuitatem eſſe. in ea enim propagationem contineri contendunt, tanquam præcipuum uitæ noſtræ ſcopum. Ad hunc enim cum excellens illud præſtantiſsimæ mentis numen ſummum atque ſempiternum, quem Deũ, quem perennem uitæ fontem, uniuerſiq; conditorem & opificem ueneramur, & colimus, huius mundi diuinum atque præclarum opus mirabili quodam ordine ac ſapientia eſſet architectatus; ſuæq; ſapientiæ opes communicare, & in quamplurimos diffundere ſtatuiſſet; hominem, æternæ ſapientiæ conſilio, quod ab initio operis deſtinarat, ex limo terræ effinxit hac potiſsimum ratione; primum, ut domicilium haberet, in quo & corpus uariis terræ opibus, quas largiter omni animanti ſuppeditat, aleretur, & animus ex tanta rerum uarietate multa colligens proprio animi pabulo, quod

lo, quod in rei uidendi ratione ſitum eſt, ſuſtentaretur: deinde, ut tanti operis ſeries hominum poſteritate aliquo modo firmaretur; feminam ex ipſius uiri latere creauit, eduxitq;, ut ex ea plures homines cuiuſcunque ſexus naſcerentur, fieretq; propago in dies amplior, & illuſtrior. Hanc inquiunt fuiſſe præcipuam hominis inſtitutionem, hoc primum humanæ conditionis initium, & hanc originem: in qua tum nihil agnoſci, niſi inclytum, aut excelſum, tum uero omnes illuc fatemur actiones uitæ eſſe conferendas. Sed cum, quid humanæ uitæ conueniret, prima illa, quæ de latere prodierat, parens omnino negligeret, ueræq; rationis inſtituta omitteret; imperio ſummi Dei, & optimi omnium bonorum largitoris neglecto, cuius benignitate fuerat in lucem edita, hoſtis peſtiferi conſilium ſecuta, uirum ad illas arboris exitioſas, funeſtasq; epulas traxit. quo miſerabili fato, cum à Deo optimo maximo deſciuiſſet, nec ipſa ſola cum homine ſocio corruit, ſed uniuerſam poſteritatem infinitis miſeriis inuoluit, ac morti deniq; obnoxiam reddidit. Hinc ſatis apparet, quantum damni, quantum calamitatis nobis primæ mulieris captioſa ſocietas attulerit: ſine qua nullum eſſet in homine uitium, quod rationem perturbaret, aut ullas menti noſtræ tenebras offunderet: immo omnium ſcientiarum participes eſſemus, omnium rerum cauſas noſceremus; ac uoluntatem nulla neceſsitate deuinctam, nullaq; perturbatione impeditam haberemus. Ac, ſi quis ueſtrum obiiciet, prioris inſcitam parentis nullam afferre cauſam ſpernendi coniugii potuiſſe, neque propagationi humani generis quicquam aduerſari; ſed ea tantum nobis proponi debere, unde noſtra omnium perpetuitas, atque perfectio pendet: primum illud requiro, quid huic perpetuitati, perfectioni ue conueniat; an ut unusquiſque cum una uxore ſibi tantum uiuat, ea lege nouiſsima, qua inſtituere atque educare unumquenque ſuam prolem iubetur; an potius ſeruet legem eam antiquiſsimam & ſanctiſsimam, à ſummo æternoq; Patre latam, cre-

ſcite, & multiplicamini, & replete terram? Quoniam, ſi ea lex docuit, quæ homini ad humanum genus propagandum peragenda ſunt: prohibebit contra ea omnia, quæ aduerſari ipſius legis inſtituto poterunt, ut infœcunditatem, atque eius generis alia, quæ inſunt ad ſterilitatem naturæ, ne propago libere ſuam ſobolem producat. Iccirco lex Moſaica ſterile coniugium execrabatur: atque, ob id à communibus aris quoſdam ſubmotos, legimus; nempe, quòd, tanquam inutiles, & ſibi duntaxat uiuentes, genus humanum nulla ſobole augere, terramq; implere nequirent. Hinc uero ueteres de cæli pudendis à Saturno falce abſciſsis, & in mare deiectis, ſententiam præſetulerunt à diuinis literis nõ admodum alienam: Deum quippe omnium ſpecies conformaſſe; moxq; præcepiſſe, ut coniugio quæque ſuo creſcerent, replerentq; terras. id quod & plerique philoſophi dixere, rerum ſemina cælitus delapſa, tempore quæque ſuo coaluiſſe: inde ad eas propagandas naturam uſum Veneris indicaſſe. Iam & Oſirim Aegyptii ſuum, de quo ſæpe alibi, humana effigie, pudẽdis obſcænius excitatis, faciebant, inde generis noſtri cauſam, (Sol enim Oſiris) & per quem capite geſtabat calathum, educationis beneficium ſignificaturi. Quòd ſi ita recte dicitur, procreandi cauſa inductum eſſe coniugium: ea erit naturæ uis, ea mens ratioq; coniugii, eaq; noſtræ uitæ omnis ad propagationem formanda regula, qua Sophocles aiebat nothum tantundem ualere, quantum legitimum: quoniam omne, quod eſt genuinum, legitimam habet naturam. licet enim nothorum genus nomen habeat ſatis turpe, natura tamẽ cum altero æquale eſt: ac fruſtra mortales ſibi cauent à nothis filiis generandis. quiſquis enim bonus fuerit, eius natura non corrumpitur nomine. unde priſci illi Arabes inter ceteros feliciſsimi prudentiſsimiq; habiti ſunt; apud quos non niſi uxores communes habere, conceſſum cuiquam erat. idem & obſeruaſſe Trochonitas, atque Spartiatas legimus. Quapropter Plato in libro de rep. cenſuit inter reliquos ciuitatis ordines, & commoda,

commoda, mulieres omnes omnium eſſe communes, nullamq; priuatim alicui adhærere, ac rurſus communes filios, neque patrem filium ſuum noſſe, neque filium ſuum agnoſcere patrem, arbitratus maximum eſſe bonum, mulieres eſſe communes, communes eſſe filios: nam uitæ communio ſtabiliorem amicitiam reddit. cenſuit enim nullùm pernicioſius ciuitati malum eſſe, quàm quod eam diuidit, & ex una plures facit. aliter tale quid proueniret, meum ſcilicet, & non meum: ac de alieno eodem modo. Quinimmo uoluptatis doloriſq; communionem ſtatuere, conducibile fore arbitrabatur, eo quòd ciues omnes maxime ex earundem rerum acceſſu, uel deceſſu pariter gaudent, & dolent. Apud Indos autem ſi quæ forte uxores infœcundæ reperirentur, has uoluptatis explendæ tantum gratia ad certum tempus alebant; fœcundas uero ad augendam prolem ſummo honore, ſummaq; ueneratione perpetuo proſequebantur. Hinc ad tantam multitudinem excreuerunt, ut eos breui quinque millia oppidorum habitaſſe prodatur. quod hodie apud Turcas, atque circa Boriſtenem populos obſeruari uidemus. Nos uero quàm acerbe reprehendendi? qua pœna corrigendi? qui diuinum beneficium haudquaquam agnoſcentes, illiſq; ſanctiſsimis naturæ principiis, quæ ad ſobolem gignendam tributa ſunt, peruerſe utentes, noſtra dementia, noſtro inquam malo, in eam perniciem infelicitatemq; unius mulieris culpa incurrimus, à qua uix mortui liberamur. Hinc nuptiales leges non bene conditas eſſe nemo inficiabitur. præſtat enim, ut aiebat Euripides, hominem felicem quamplurimas uxores ducere, ſi modo uictus domi ſuppeteret, ut malam tandem expelleret foras, bonam uero ſibi ſeruaret. Qua quidem in re illa nobis prima offertur infelicitas, quòd multo iniquiore, multoq; deteriore conditione in optionem uxor uenit, quàm iumentum, aut aliud quippiam, quod poſsidetur. nam, ſiue ueſtimentum, ſiue agger, aut equus, ſiue canis, ſiue quiduis aliud tibi comparandum aut emendum ſit, probãdi nunquam negatur facultas

cultas, immo experiendi largiſsime poteſtas cõceditur. quæ tamen ſi quando empta nobis forte aliqua ex parte diſplicere cœperint, uenundari denuo, donare, aut ſaltem permutare, aut abiicere denique licet: uxor uero quæ futura eſt, quæ non niſi morte ſeparari poteſt, tum cum deſponſatur, eam uix per tranſennam, apud Italos præcipue, uidere nobis permittitur; quæq; obuenerit, ſit quantumuis improba, fatua, deformis, omniq; malorum genere cooperta, commaculataq;, neceſſario retinenda. Cetera quidē omnia legis ſubſidio, citra fraudem dolumq; emuntur: uxor ne milleſima quidem ſine fraude ac dolo in perpetuum datur. iccirco apud Taxillos, Aſiæ populos, ſancitum erat, omnes puellas, antequam nuberent, à ſuis in forum magna pompa, tubis claſsicisq; procinentibus, debere produci, atque ibi confluente multitudine primum poſteriora corporis humero tenus, deinde anteriora inſpicienda, ei, qui ad puellam acceſsiſſet, denudabantur. qua re peracta, cui potiſsimum uiro placuiſſet, uirgo nuptui tradebatur. Noti ſunt humaniſsimi Gallorum omnium mores, qui conſuetudinem & famiIiaritatem ſtudio colunt, ut honori ſibi ducant, quòd adueniens hoſpes uirgines, atque etiam uxores oſculo adhibito ſalutauerit, & in amplexum acceperit, & in gremium ſibi aſsidere iuſſerit. Nam & apud Romanos olim licebat obuias quasque mulieres excipere oſculo. quod ideo Cato inſtitutum tradit, ut explorarent, an mulieres temetum olerent. capitale enim erat Romanis feminis uinum bibere. Apud Lacedæmonios oſcula non conceſſa modo, ſed etiam inſtituti ludi, propoſitaq; præmia iis, qui ſeniores lepidius ſuauiarentur. Niſæorum id inuentum, & à Megarenſibus in honorem Diodis obſeruatum. Nam & illæ Romanorum exoſculationes, ut femineo generi honos haberetur, ſancitæ ſunt, ut apud Plutarchum legitur in libro de claris mulieribus: nempe quòd, Troianis in Tyberim inuectis, Roma quædam nomine, inter mulieres claſſe aduectas nobilis, auctor fuit ut claſsis abſumeretur incendio; unde coacti

acti ſint ibi ſedes ponere: quod cum illis feliciter ſucceſsiſſet, eius generis præmia mulieribus detulerunt, quæ præclari beneficii memoriam prorogarent. Aſſyrii uero primores ciuitatis triumuiros conſtituebant, appellabanturq; nuptiarum præfecti. ab his autem puellæ nubiles per mutuas exoſculationes in forum productæ, ſub præconis uoce omnibus adſtantibus denunciabãtur. Ita antiquitus apud has gentes eæ tantum nuptiæ felices, beataeq; exiſtimabantur, quæ palam, coramq; omnium oculis proponebantur. Nos uero Itali, ubi occulto hæc tranſigi conſueuere, ſæpiſsime in laqueos incidimus, adeo ut una uxor uix à nobis duci poſsit, quin aut ſtrumoſa, aut clauda deprehendatur, aut fuco colorem, aut lino cæſariem, fictitiis ue capillis, aut grandioribus craſsioribusq; ſuberibus corporis proceritatem mentita; alia ſuperba; alia iracunda; alia fœda; alia fœtida; alia ægra; alia moroſa; alia quæſtus gratia matrimoniũ corrumpit; alia, cum peccauerit, multas morbi ſui uellet habere ſocias; alia alio uitio laborans; nulla inſigni quapiam uacat nota. Iccirco Simonides aiebat, mulierum mẽtem ſeorſum feciſſe Deum. nam & aliquam ex ſue ſetoſa produxit. huic omnia domi luto inquinata, inornataq; iacent. aliam ex uulpe, omniſciam: aliam aliis præditam moribus, eo quòd nunc bona, nunc mala: aliam ex cane, iccirco audere, & omnia ſcire uelle, undequaque latrantem, etiamſi neminem uideat: neque omnino compeſci à uiro poteſt, ne ſi iratus quidem ei ſaxo dentes excuſſerit: ſed pertinaciter inuiſum clamorem exercet. Aliam ex tellure formatam cælicolæ marito dederunt, ad eius damnum, & perniciem infinitam. nam & inepta omnino nullam ad rem eſt idonea. Aliam ex mari: & hæc interdum ridet, & hilarem ſe præbet, hoc ſane, ut hoſpes eam domi uidens laudet, ac dicat: Non eſt profecto mulier ulla melior, quàm iſta, inter omnes, neque elegantior. interdum contra & uiſu intolerabilis eſt, & acceſſu. furit enim uſque adeo, ut appropinquare nemo audeat, ueluti canis circa ſuos catulos, quæ omnibus eſt tum impla-

implacida, tum infensa, ac similis in amicos, & hostes. Aliã ex cinere & dossuario asino constituit, quæ uix minis & fustibus adacta tandem omnia facit, & exequitur quæ uiro placent; interim tamen quid furtim deuorat, & quemuis aduenientem susscipit socium. Merito igitur Plutarchus admonendis mulieribus ferulam abhibens, aurem nobis uellere uidetur, ne distichi illius immemores simus, quod toto terrarum orbe celebratissimum est:

Nux, asinus, mulier simili sunt lege ligati.
Hæc tria nil recte faciunt, si uerbera cessent.

Aliam ex mustela creauit. hæc à uenereo complexu aliena est, & præsentem maritum fastidio habet, & furando multum damni uicinis affert. Aliam equus ceruice iubatus genuit: quæ ab omni seruili opere & labore abhorrere consueuit, sed comas perpetuo pexas, atque comptas gerit. Aliã ex Simia natam Iuppiter contulit turpissima facie, nulli non irrisam. Ceterum ex apicula, ut quæ sola nihil dignum reprehensione habeat. floret enim eius opera, amansq; cum marito senescit amato, enixa pulchram & celebrem progeniem. eiusmodi uxor optima esset, & pudicissima, sed morsu tandem te necat, ut, si quis in huiusmodi inciderit calamitatem, non nisi in lacrymis & tristitia uitam in perpetuum se transacturum putet. Quid enim, quæso, est ad conditionem hominis durius, quàm noctu diuq; habere præoculis tam inimicum, tam immane, tamq; fœdum monstrum? Sed hæc cũ sint uitia corporis, defectusq; naturæ, leuius tolerari possent, si non ad animi haud minorem corruptelam, peruersitatem, & stultitiam etiam tenderent; cum sint fere omnes omnis generis furoris, & amentiæ plenæ, superstitiosæ, Zelotypæ, quietis nesciæ, supra modum molestæ, importunæ, atque inexplebiles, querulæ, nec fere aliud continuo mussitantes, quàm, eme mihi hoc, da illud, istud largire, aliud compara, opus habeo flamineolo, calantica egeo, pullam nullam purpuream, nullam roseam, aut saltem uiolaceam habeo. quid? neque minus castulam, aut clamidem nobili muliere

muliere dignam, dignam mea, neque minus tua conditione. Refer, refer, quæso, pessume, cur illa me incedit ornatior? cur ista splendidior? non illi desunt mitræ, quibusuis orientalibus gemmis ornatæ, non aurea redimicula, non calanticæ, serico, auro, & gemmis distinctæ. limbos gestat illa purpureos, roseos, iaspidios. ego infelix muriceum uix unũ abs te obtinere possum, immo uix unam quantumuis etiam uilem cycladem. ea siquidem palla, eaq; mihi tantum uitta est, quam in ipsa nuptiali cena induisse memini. defessa sane sum petendo. atque hæc omnia in causa sunt, cur ego non æque ac aliæ, etiam me longe ignobiliores, color, non æque commendor. nemo me miseram honore afficit, respicit nemo infelicem, despicior à sodalibus, à uicinis floccipendor, minoribus derisui sum, contemptui plane omnibus. Atque hæc non meis equidem meritis, uerum tua, tua, omniũ sceleratissime, culpa, tua nequitia sustineo. nanque, ut ab aliis quoque contemnar, ipse me paruipendis, semper uitiis insimulas, sermonibus, qui extollere deberes, deprimis, neque pro mea dignitate me exornas, non decoras, non magnificas; ita ut omnes seruam me tuam, non coniugem, putent. nec mirum, ait. quis enim eam mulierem multifaciet, aut ipsius honoris ullam habebit rationem, quam maritus contemnit, minimi putat, infimo esse loco non modo patitur, uerum etiam uult? miseram clamitat se, conqueritur infortunatam, solam se arbitratur infelicem, ceteras omnes beatas, soliq; esse sibi male, aliis uero optime; se solam malo omine nuptam, infausto desponsatam hymenæo, sinistra pronuba ductam, nec nuptam, sed morti traditam lamentatur, ac deflet; adeo, ut morbum sis perpetuum in ossibus habiturus. Hinc uero ut medici eas febres, quæ ab incertis causis paulatim collectæ erumpunt, magis suspectas habent & timent, quàm quæ manifestas & magnas causas habent: sic latentes, paruæq;, & frequentes ac quotidianæ uiri atque uxoris offensæ magis eos disiungunt, & uitæ consortium labefactant. Et licet uoluptates in coniugio aliquæ appareant,

pareant, non tamen, ut aiebat Antiphanes, incomitatæ accidunt. sunt enim earum comites triſtitiæ, & labores. Hic forte aliquis ueſtrum obiiciet, eos, qui in Olympiis, & Pythiis, aliisq; huiuſmodi certaminibus uictores euadunt, aut ſapientiam, aut quoduis genus uoluptatum ſibi comparare ſtudent, multas prius moleſtias, laboresq; ſubire. quapropter honores, præmia, gloria, & huiuſmodi illecebræ, quas Deus humano generi conſtituit, magnos labores, ingentesq; ſudores neceſſario requirunt. Profecto ſi mihi & aliud corpus, quale meum eſt, accederet, grauis omnino mihi uita foret, ſi tantū negocium pro ualetudine corporis in dies colligenda, tum pro gloria, celebrisq; famæ, ac bene audiendi cauſa ſubeundum foret. Quid ſi uiduam duxeris, cuius mores, uitaq; honeſtiſsima ab omnibus probetur? fortaſſe in duriorem cruciatum abripiare. Ridiculum eſt enim arbitrari, quenquam, incenſum cupiditate gloriæ, poſſe uel iſtis ſatisfacere, niſi fuerit prorſus anilis, atque imbecillis animi, & huiuſmodi feminarum ſpecie implicatus. me uero neque hoc, neque illud ſupplicium à meo propoſito amouebunt. quòd ſi ad inferos tamen abducendus ſum cum iſtis tartareis monſtris; non uiduali thoro, ſed uirginali implicabor. Mallem ego uitam cum uirgine agere acerbam, & calamitoſam, quàm intemperatiſsimæ uiduæ periculo me ſubmittere, eiusq; primi uiri memoria noctes & dies cruciari, atque perpetuo animi angore pœnas aliorum amentiæ perſoluere. Sed audiamus quantum malorum furor hic rebus humanis importet. Primum enim in omni ſermone uita functos uiros ad cælum uſque extollere non deſinunt, tum illos laudare, illos prædicare, commendareq; : &, ut magis ad iram te commoueant, imaginem eorum, ſi quā forte (ut ſæpiſsime euenit) ſecum exportarint, ſemper habēt in manibus, eamq; in tuis oculis aſsidue exoſculantur: ſin minus, nihil ſecius te præſentem contemnunt, ſpernunt, negligunt, probris omnibus laceſſunt, alios ornant laudibus, felices eas appellant, quibus contigit cum talibus uiris uitam tradu-

traducere. tum denique apud parentes, apud affines, apud uicinos, etiam apud alienos, ſi qui forte obuenerint, calamitatem ſuam deplorant, quòd datæ ſint in matrimonium ignauo homini, cui neque augendi patrimonii, nec opum quærendarum ſtudii quidquam ſit. His autem ſublatis erit aliud, quod etiā obiiciant, nec ceſſabunt quo minus omnia ſcelere nefando, & audacia uiolenta, & cupiditatis incendio deflagrent. quo quidem ſcelere nullum profecto durius et deteſtabilius excogitari poteſt. Sed efficiam, inquies, ut mea hæc conqueri non poſsit. attamen nihil hoc tuo ſtudio profeceris, nihil iſta tua diligentia lucraberis. nequaquā enim ſegnius falſo queritur femina, quin audacia durisq; uocibus, inhoneſtiſsimisq; conuiciis, omnia magno eius dedecori, incommodo, damno ue confingat, imponatq; ; uitia, ſi quæ forte in te fuerint, detegat; commiſſa à te piacula multa abſque rubore exclamet; infecta æque ut facta criminetur: ita ut eam, quam tibi tuarum actionum, ſententiarum, uoluntatum, rerum denique omnium ſociam comitemq; fidām putabas, inimiciſsimam, & quaſi domeſticam hoſtem experiaris. Nam ſi forte dabitur, ut tui (licet perquam raro id accidat) flagrent amore, omnes magas, omnes conſulet ueneficas, phyltra propinabit, luſtrabit thorum omni ueneficio, ut tibi uincula grauiora amoris nectat, ſtimulosq; acerbiores admoueat, adeo ut, dum aliarum obliuionē menti tuæ afferre feſtinat, ſæpe maniam inducat. Sin uero te habere odio cœperit, ne ſperes ullo modo amplius cum ea poſſe uerſari. extemplo enim uenena parat, omnes inſidias clanculum tendit: nihil omittit, quia aliud ſemper in te moliatur, & agat: nullum denique tam fœdum execrandum ue eſt facinus, quod ipſa ſua audacia, loquacitate, amentia, ſuaq; impudentia in tuam perniciem non audeat. Fieri enim non poteſt, quin ea animi furentis elatio maritos omnes iniuria opprimat, ubi primum occaſionem nacta fuerit. ſiquidem hic ſexus ad omnia bona imbecillis, ad omnes iniquitates ualidiſsimus eſt, nec niſi ad malum, & ad exercendum

genus humanum à natura procreatus uidetur. Non est hoc loco prætereundus sacrificii ueteris mos, ubi masculi uocabulo insontem, & nulla criminis macula notatum intelligi debere autumant theologi, per feminam uero crimen. Cyrillus enim Leuitico homilia prima, siue sit Origenis, ubi agitur de uitulo masculo sine macula offerendo, masculum ait intelligi, qui peccatum ignorat, propterea quòd femina sit peccati symbolum, & ad delinquendum procliuis. Ideo non nulli mulierem speculo figurarunt: in quo scilicet quãuis similitudo quædã uiri appareat, eo tamen falsa est, quòd in speculo, quæ læua sunt, dextera, quæ dextèra, læua referantur, atque ita ueritati fucus fiat. Pulcherrime igitur in eas Euripides inuehere aliquando solitus, aiebat diram uim esse marinorum fluctuum, & uehementem fluuii, feruentisq; ignis impetum, diramq; esse paupertatem, atque alia innumera, sed nullũ muliebre immanius esse malum. quandoquidem illud neque scribi, neque uerbis exprimi posse constat. Quòd si Deus aliquis mulierem formauit, opificem eum malorum fuisse maximum, poetæ finxerunt: & quemadmodum magna tempestas uentis uehementissimis excitata nihil habet commune cum tranquillitate, ita nec in mulieris animo, uariis nequitiis, tanquam fluctibus, agitato, cerni potest aliqua mentis honestæ, aut tranquillæ similitudo. Nolo equidem hoc loco, uiri Academici, thalami reuelare secreta: nolo cubilis arcana detegere: parco lectulo, parco culcitræ, pàrco ceteris, quæ pudor, honestatisq; ratio prodere uetat. quàm multa signa dederint olim furoris, & amentiæ, quàm fuerint earum inconsiderata consilia atque turbulenta, quàm facile sua leuitate, nullis incitatæ stimulis, ad omne facinus moueantur, & à mente, rationeq; deducantur, usque adeo ut neque homines, neque Deos improbitatis ultores credant, satis notum esse puto. Non potuit enim maior furor inuadere Alchmeonem, aut Orestem, quos matrum furiæ tædis ardentibus agitauere, aut Clytemnestram, Circem, Agrippinam, Fabiam, aut Semiramim,

ramim, quas furentes, & in maritorum suorum cæde bacchantes, uetustas nobis descripsit. multas enim constat fuisse eò progressas, ut immanissimo furore correptæ, uitam suis eriperent, ut Alcithea Pausaniæ mater, quæ, cum filium Spartiatæ in Tenaro monte domi inclusum fame necare parauissent, primum lapidem ab obstruendum ædium exitum posuit. Quid, quæso, Belidis furiosius? quæ, coniuratione facta, omnes maritos nocte una iugularunt? Hoc etiã Albinas facinus impulit: quas eò progressas iracundiæ ferunt, ut duos & triginta interfecerint. Iam de Thebe, Rosimunda, Lucilla nihil attinet dicere, quas furor crudelissimus ueneno ferroq; ob effrænatam libidinem ad coniugum mortẽ perduxit. Vnde facile apparet, quàm femineus iste sexus immanis etiam in alienos esse consueuerit, cum istæ in uiros suos tã sceleratæ crudelesq; fuerint. etenim qui singula ordine suo colligere uoluerit, cunctasq; simul coniugii miserias exactius supputare, comperiet sane uerissimum illius dictum, qui cum graue maleficium insigni aliquo cruciatu optaret afficere, aliis eculeos, aliis cruces, aliis neruos, aliis alia tormentorum genera commemorantibus, is astans, quid here, inquit, hæc leuia tibi, momentaneaq; tormenta memorantur? si cupis illum sacrilegum perpetuas tibi luere pœnas, & immania pendere supplicia, dato illi uxorem. uere profecto, rectissimeq; . quid est enim tota coniugum uita aliud, quàm tormenti genus acerbissimum? Colligite & examinate Patres singula: nihil prorsus aliud, excepta illa modica, leui, ac breuissima uoluptate, qua uel bestiis rationis expertibus frui temere licet, reperietis. O extremam hominum demẽtiam, existimantium in istis tam infimæ naturæ muneribus, aut temeritatis & fortunæ ludibriis, aliisq;, ueræ dignitatis ornamentum, aut firmamentum gloriæ esse constitutum. quid enim his inanius, quid leuius, quid inconstantius, quid mutabilius? Hic iurgia, lites, contentiones, rixæ, probra, conuicia, suspitiones, odia, curæ, ærumnæ, anxietates, mærores, animi, corporisq; cruciatus,

ciatus, quales nec in Phalaridis tauro, immo uero quibus nec in inferis apud ipsum Minoem, aut Radamantum durio res ulli possunt inueniri. Ferunt Arrium rectissime respondisse Pacuuio, querenti, quòd in horto suo funestam haberet arborem, unde prima uxor sese suspendisset, deinde altera, postremo tertia. Miror, inquit Arrius, te in tot successibus inueniisse lacrymas. etenim, per Deum immortalẽ, quot tibi calamitates arbor illa suspendit. Adiecit, Amice, quæso te, da mihi ex ista arbore quos inseram surculos. adeo existimabat Arrius fortunatum eum esse, cui contingeret ab uxore liberari, sentiens felicissimam hominum uitam fore, si datum esset à coniugio solutos uiuere. Prudenter igitur Hipponactis dictum laudatur; dum inquit binos esse cum uxore iucundissimos dies, alterum quo ducitur, alterũ quo mortua effertur. Qua de re narratur & illud Catonis: si sine uxoribus mundus esse posset, uita nostra non esset absq; Diis. Sed, ut idem apud Aulum Gellium, cum illis incommode uiuitur, sine illis omnino non uiuitur, ut merito dici possit, uxor necessarium malum. Sunt enim infinita, quibus animi sæpe in contrarias partes distracti, & à se ipsis dissidentes, aut grauiore aliqua clade perculsi & abiecti, nonnunquam etiam erroribus impediti, à recta ratione deiiciuntur, & quamplurimis sceleribus obruuntur. sunt innumerabiles ærumnæ, ingentes dolores, acerbissimi casus, animum assiduo cruciatu lacerantes: quæ quidem possunt eruditi homines deplorare; & iis aut penitus, aut aliqua saltem ex parte remedium afferre: nulla tamen est tanta prudentia, nullumq; tam ualidum ingenium, tanta ue dicendi facultas, quæ ualeat ea mala proferre, aut dicendo consequi, quibus miseri mariti ab istis furiis tartareis conflictantur. Quòd si omnia, quibus à principio, & ab ipsis nuptiis oppugnantur, referre uoluerimus; uix integra Iliade comprehẽdi possent. Nam ut primum quis nubit, ex libero fit seruus, ex ocioso solicitus, ex quieto inquietus: uigor paulatim deperit corporis, color emoritur, ora immutantur, pallescit uultus; ueſtitus,

ueſtitus, ornatus, & uniuersus negligitur cultus, informis cernitur, squalidus, languidus, tristis, rẽtunditur sensim omnis animi uigor, ualetudo infirmatur, comitas discedit, abit urbanitas, ioci recedunt, societas negligitur, uirtus quantumuis effera domatur. quod probe callens Antonius Faletus, proauus meus, uir sane suæ ætatis egregie sapiens, cum filium Ioannem, iuuenem indomitum, intuerẽtur, nullam recipientem disciplinam, nulla monita admittentem, nihil aliud à Diis immortalibus precabatur, quàm illi uxorem dari, utpote qui hoc unum tantarum uirium esse experimento didicerat, quod uel ipsas immanes beluas frangere, & ad mansuetudinem aliquam traducere possit. Legerat fortasse homo doctissimus, idem apud Græcos extitisse obseruatum aduersus lupum, qui cum omnes insidias ab eo cuicunque gregi fieri uoracitate insatiabili uiderent, neque illum ullo laqueorum aut armorum genere apprehendere, atque deterrere unquã potuissent, tum sapiẽtes Apollinem Pythium consuluerunt, quæ potissimum remedia ad tam dirum hostem comprimendum, hominumq; genus à tantis periculis uindicandum essent abhibenda. oraculum editum est, nihil opportunius, fructuosiusq; inueniri posse, quàm uxorem illi dari, ut perpetua afficiatur miseria. Sed iam ad ea, quorum gratia in hanc disputationem ingressi sumus, redeamus. Præsto sunt alia multa, quibus uxor te uersetur, quibus affligat, urat, cruciet, enecet. imperare etenim uult, dominari, atque mandare: illum accerse domum, illum exclude: hic caue mihi limen attingat. At seruus est, inquies, socius, uicinus, amicus, consobrinus, frater, pater, mater: ut lubet, inquit illa: nolo limen ingrediatur meum: tanquam te iam olim extulerit, & in eius ditionem tua cesserint uniuersa. quòd si tantum rogitare pergas, cur ita uelit; proterue respondet; quia sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas. Denique amandum est, quicquid amauerit; respuendum, quicquid respuerit. neque enim ab ea rationem exquirere ullam poteris: cum illa non

ipsam

ipſam modo rationem, ſed, quod prope etiam accedere uidetur, penitus ignoret. talem enim mulierem tribadem, quæ uiro dominari omnino uelit, uel quæ maris officium facere non erubeſcit, per gallinam, quæ criſtam erexerit, cau damq; ſuſtulerit, intelligi ueteres tradiderunt. ea ſiquidem ubi marem (quod non nullæ faciunt) pugnando uicerit, cucurrire incipit, & exemplo marium tentat coitu ſuperuenire, gallinasq; reliquas, ac ſi rem peragere poſsit, ſolicitat, & ſaliendo defatigat, criſtam, caudamq; erigit, atque ea incedit ſpecie, ut non facile inde ſit, utrum mas an femina ſit, internoſcere. huiuſmodi mulierum genus, quæ uirum oderint ſuum, cui etiam mortem intẽtent, neque niſi coitus gratia blandiantur, uiperæ antiqui æquipararunt; quæ cum mari copulatur, caput eius ori inſertat ſuo, atque in concubitus conflictu nimia uoluptatis ui ſuperata, capite maris mordicus amputato, maritum extinguit. ita Plinius, Nicander, Galenus, & plerique alii tradiderunt. Quibus uitiis quàm paucæ mulieres careant, inde cognoſci datur, quòd nec ſanctæ præſtantiſsimæq; matronæ ea omni ex parte uacare potuerunt. ſiquidem Sarra Abrahamo eius uiro adeo moleſta fuit, ut primogenitum ſuum Iſmaelem cum Agar matre inarentes exponere ſolitudines, & in deſertas abigere terras, miſerrime ſit coactus. tanta eſt enim feminarum proteruitas, tam dura importunitas, ut homini quantumuis conſtanti, quantumuis ſapienti uel parendum ſit eis, uel domo penitus abeundum. Eſt igitur hæc tota matrimonii appetitio pernicioſa: euertit enim omnem ciuilis atque domeſticæ diſciplinæ rationem, iuris æquitatem oppugnat, fidei ſanctitatem uiolat, amoris & amicitiæ fundamenta labefactat, atque euertit; animos præterea libertate exuit, formidine infamiæ concutit, uariis perturbationibus exagitat, atque furenti libidine ad omne facinus inflammat. Porro has moleſtias & aliæ conſequuntur nequaquam leuiores, tædiaq; non minus intolerabilia. Cibos enim ſi quando emeris, qui & ſuauiſsimi ſint, & iidem facillimi ad concoquendum, niſi tamen palato

lato ipſius placeant, aut crudos ipſe deglutire, aut male paratos comedere cogeris. ſi litigare occœperis, uictoriam deſpera, quippe quam occidere facilius poteris, quàm adducere ut ſuſceptam ſemel ſententiam deponat. quinimmo expugnare, uincere, & obtinere uult omnia, quæ ſibi in mentem ueniunt, tanquam ſingula ſua ingenii fertilitate nouerit. ſicubi cœnaſti, reuertenti præſto eſt in foribus tãquam Megera, caput quaſſans, igneum ſulphur ore euomens; unde, ait furibunda, peſſume uenis? qua cum fuiſti? cum qua te oblectaſti? cur illam allocutus es? quid res tibi cum ea eſt? quæ cauſa ſermonum? cur aliam reſpexiſti? cur ſubſtitiſti? unde hæc habes? quis donauit? quæ largita eſt? Non tutor ullus curioſior, non pædagogus importunior eſt. omnia reſciſcere uult, omnia exquirere: nihil agi ſe inconſulta, nihil dici patitur: eiq; omnia credere, & morem gerere opus eſt, aut in alienas terras profugere. Adde, quòd ſola uult amari, ſola commendari; alterius beneuolentiam, ſui maleuolentiam uocat; alterius commendationem, propriã ignominiam ducit: quidquid alii conceſſeris, ſibi præceptum arbitratur. Si fœda eſt, amat; ſi pulchra, amatur. utrobique periculum maximum; utrobique marito ſolicitudo maxima. non enim minus, magis etiam aliquanto cuſtodia eget quæ cunctos amat, quã quæ à cunctis amatur. Iccirco quoſdam Pittaco reſpondiſſe ex Ariſtonis cõmentariis legimus: ſi formoſam duceret, habiturum eam communem; ſin deformem, pœnam; quoniam quidem nec iucunda amplius ei futura uita eſſet. quòd ſi pulchram duxeris, non erit tibi pœna; ſi deformem, & pœnam, & communem habebis. itaque nullo modo malum cauere potes. Quod ſi pecunioſam duxeris, non uxorem, ſed dominam habebis, cuius famulus & ſeruus efficieris. ſi nihil adferentem dotis, nihil minus eris ſeruus. te enim ſolum duos alere oportebit. Si autem nobilis, eſt ſuperba, inſignia parentum facinora in dote numerat, te ſerui loco habet, fratribus, amicis, cognatis ſeruire uult, mirabunda arrogantius imperat. Sin uero inæqua

lis, aut humiliori ſanguine nata, nihilominus ſuperba incedit, nec ſe genere fortunis ue, uerum libidine, cupiditateq; metitur, expleri neſcit, modum ſuis cupiditatibus inuenit nullum; continere eam non facilius quàm Protheum poteris, ne in mille ſe formas mutet, mille aſſumat facies. Quòd ſi feminarum cupiditas turpis eſt; ſequitur, ut ipſa quoque femina turpis habenda ſit. neque enim ea res honeſta eſt exiſtimanda, cuius appetitū inhoneſtum eſſe conſtat. eſt enim tum peſtilens & exitioſa, tum inſatiabilis & infinita, nempe cuius nec ardor ullo modo reſtingui, nec impetus ulla ratione coerceri poteſt. Nec modo ſingulos maritos amentes & inſanos efficit, ſed uniuerſum hominum genus exagitat, & omnia humanæ ſocietatis iura peruertit. Ex hac enim acerbiſsima odia, turbulentiſsimæ ſeditiones, exitioſiſsima bella naſcuntur. ob mulieris impudentiam ac libidinem Troia euerſa. Quid enim attinet hic commemorare, quantam cladem rebus humanis femina inuexerit? ut alias innumerabiles omittam, quantam cædem, incendium, uaſtitatem orbi terrarum intulerit, quantas furor hic immanis in omnibus regnis & populis ſtrages ediderit. Sunt enim hæc adeo perſpicua, ut oratione nullius indigeant. Prætermitto inconſtantiam infidelitatemq;, quandoquidem eſſe ſoleat mariti proditrix, ac inſidiatrix, præcipue, cum bile tumet, cū feruet ira, mox ſecreta pandit, mòx propalat arcana, conſilia prodit, operta reuelat, abdita exponit. Quid enim commemorem mulierum labes, turpia atque deteſtanda flagitia, ſcelerumq; omnium colluuionem, quibus ſe homines ab illo corrupto principio quotidie magis contaminarant? Dicā tantum hominem regium & excelſum, ad imperium atque laudem natum, in tantam miſeriam incidiſſe, ut fieret tandē mulieris uile mancipium. o conditionem ſeruitutis miſeram, acerbam, & luctuoſam, in qua quotquot mala cogitatione licet complecti, omnia continentur. Quod ſi exemplis pugnare uellem, infinitam prope multitudinem afferre poſſem moleſtiarum, quibus miſeri coniuges affliguntur.

tur. ut enim alia immania, grauiſsimaq; prætermittā, quæ omnia pati neceſſe eſt, curam ſeruorum, ancillarum, uictus, ueſtitus, quid illa? filiorum ſuccurrere laboribus, neceſsitatibus prouidere, languentes excitare, errata corripere, malis dolere, caſibus compati, miſeriis leuare, peccatis ingemiſcere, damno, miſeratione, doloreq; affici. Sunt (inquiet aliquis) multa coniugia, feminili amentia peruerſa: parum tamen recte uideris facere, ſi propter aliquod incommodum, quo matrimonia laborare ſoleant, omnia iura matrimonii in crimen uocaueris. At falluntur qui non credunt omnem feminarum multitudinem iiſdem ſemper eſſe flagitiis obnoxiam. ſed id minus apparet, quamdiu eſt uirorum prudentia alligata, ut & aliquando earum comprimatur audacia. attamen quemadmodum beſtiam immanem, quamuis eo tempore, quo uinculis conſtricta eſt, minime noceat, non ob id cicurem atque manſuetam appellamus, quia nobis in mente uerſatur quantas ſtrages ederet, ſi illis uinculis eximeretur: ſic ubi accidit mulierem aliquam non ſponte ſua, ſed metu aut prudentia uiri alligatam, honeſtatis quaſi fræno regi, debemus cogitare quid faceret, ſi iugo tali libera foret. Atque id ipſum magno argumento eſt, mulierem petulantem atque ferā eſſe, quòd nulla ratione poteſt, niſi legum uiri metu ſepta fuerit, uitæ officia tueri. ideo leges uiri in uxorem ſcriptæ ſunt, ut petulantiam, amentiam, & reliquas animi labes ui, minis, atque metu conſtringant, & indomitas earum cupiditates aſsidua formidine coerceant. Illud enim eſt ualde odioſum, quod ut quiſque animo præditus eſt, ita maxime communis opinionis errore coniugium aucupatur, eaq; de cauſa omnia uitæ conſilia & actiones ad uxoris uoluntatem alliciendam dirigit. Iccirco & ſeipſum priuat illo ampliſsimo omniumq; lætiſsimo libertatis fructu, quem perciperet, ſi uitam cælibem coluiſſet. præſtans enim ea naturæ uis eſt ad libertatem tuendam, atque ſunt ii mores & diſciplinæ, quibus informari debemus. ut enim nihil eſt præſtantius ingenio excellente, ſi fuerit hone-

ſtis officiis excultum, ita nihil peſtilentius eſſe poteſt animo maxime mulierum uinculis alligato. eſt igitur illarum ſocietas effugienda, & leuitas irridenda, & improbitas execranda. At non eorum, inquies, ob id opinio improbanda, qui muliebri ſocietate ad ſobolem ſuſcipiendam delectantur, eo quòd feminarum genus leue atque imbecillum ſit, omnibuſq; iis difficultatibus refertum, quæ uirorum libertati, hoc eſt uniuerſæ ſaluti aduerſari ſolent: quandoquidem nulli hominum conſtituta ſit in aliquo ſtatu tam libera permanſio, quæ non ſumma moleſtia, ſummaq; anxietate perturbetur. Agricola enim ſudores maximos, tum ſolis æſtus, tum frigoris patitur, ſatisq; ſibi eſſe exiſtimat ſi fructus ad prolem alendam percipiat. Item nec miles ulla pericula mortis, ullos labores uitat, ut uictoriam ab hoſte referre queat. Nempe minus mercator ſulcare maria recuſat, licet profundiſsimos fluctus pertimeſcat, ea ſiquidem ſpe, ut tandem ſe in portum recipiat, ſuarumq; mercium lucrũ optatum conſequatur. Ita neque homini adeo condolendũ, ſi his tormentis ac difficultatibus ſit obnoxius in coniugio, cum ſecum hæc omnia propaginis natura ferat. At noſtrum eſt, non ea appetere, quibus etiam obſcuri homines implicantur, ſed quæ nos in altiſsimo feliciſsimoq; gradu conſtituant. Quoniam ſi terra iam gremio mollito & ſubacto, quæ ſemen ſparſum exceperit, loco ſegetis fœcundæ, quam ſenſim magna ſpe ruſticus matureſcentem expectat, effundat ſuis uaginis lolium, aliasq; herbas inimiciſsimas frugibus, aut grandine colluuieq; ſemina diſperdantur, non ne maximum in luctum, aſsiduamq; miſeriam agricola iure inciderit? ſimiliter ſi exercitus è multis regionibus, habita cuiuſque uirium ætatisq; ratione, accuratiſsime collectus, omnis interierit, aut ſi nauis onuſta mercibus ditiſsimis in ſcopulos inciderit, nonne hæc militem ſua uictoria, nautam lucro deſtituunt? Ita opinamur fraudari maritos eorũ propagatione, ſi quando prolem claudicantem non modo fatuam & amentem, ſed nequam & improbam genuerint; qualis

lis fuit Cleombrotus, qui ſe amentia præcipitem è turri deiecit; qualis Empedocles, qui ſimili inſania uexatus, ſe ipſum in Aetnæ incẽdium demiſit; aut Pentheus & Athamas, quos poetæ nobis furore alienatos inducunt, & in propriam necem bacchantes. uidetis in Phædra etiam ſcelere & amentia furente, fuiſſe penitus extinctam indolem pudoris & honeſtatis. ut enim hic nihil dicam de Gilone, Dionyſio, Phalaride, & Nerone, omnium tyrannorum crudeliſsimis; neque de Orthogathi Sicyonii, Cypſeli, Piſiſtrati, Syllani, atque Mariani temporis calamitatibus, quæ cladibus innumeris rempublicam uexarunt: ſimilis etiam improbitas Simoleuntem induxit, ut fratrem interimeret. neq; ſatis habuit huiuſmodi peruerſæ atque flagitioſæ prolis educatio, omnia ſcelera moliri, quibus fides & humana ſocietas uiolatur, ac læditur, niſi etiam ſummam parentum pietatẽ multiplici parricidio pollueret, atque uiolaret: ut Alcmæon, Oreſtes, & Nero, qui eorum matres Eryphilem, Clytemneſtram, Agrippinam necarunt. Non omittam Agyrtem, qui non ueritus eſt Polydicem patrem, Thebarum Regem, Creonti prodere, demumq; morti tradere, ut Siroches, & Phraantes, qui Coſroem, & Orodem, alterum Perſarum, alterum Parthorum Regem necarunt. Nihil de multis aliis dicam flagitioſiſsimis & immaniſsimis, qui progenitores ſuos morti dederunt. dies enim me deficeret, ſi uellem omnibus quibus poſſem exemplis hanc ſententiam confirmare. Quemadmodum enim ab illa coniugii appellatione natum eſt principium iſtorum, item & omnium flagitiorum: ita, illa contempta, omnes uirtutes oriuntur. Quid enim, quæſo, eſt minus uirtutis grauitati congruum, quàm feminæ leuiſsimæ commercium aucupari? quid libero homini magis aduerſarium, quàm exinſipientiſsimæ mulieris temeritate pendere? quid denique inanius, atque infirmius, quàm in filiorum propagatione aliquod uitæ præſidium aut ſpem denique conſtituere? quod quàm diuturnum ſit, agnoſcere nõ poſsis. Nam ſi filii mali fuerint, ſumma calamitas eſt. rurſus

ſi probi

si probi euadant, non parum nihilominus pariunt mali. affligunt enim genitorem, dum, ne patiantur, timet. Et siquis rerum imperitus liberos solatium appellauerit, ille quidem sentiet minus doloris, ac in medio infortunio fortunate uiuet. Itaque ex Euripidis sententia nos oportet aut uiuere solos ac cælibes, aut natis iam liberis mori parentes. At ille summus Apostolorum pater, cuius numine & imperio omnia reguntur, cuius nec uita malis tentari, nec decus imminui unquam potuit; cum sit ipse immortalitatis largitor, ut ab hominibus pestem hanc auerteret, cælibem uitam coluit. Idem & fere omnis ea plebs sancta & innocens, quæ Christiana doctrina instituta esset, obseruauit. ut autem hinc initium sumamus, cum multa diuinitus in humanis animis innata sint, nihil tamen habent utilius, quàm ingenitum cælibatum, qui custos est omnium uirtutum. Primum enim huius sanctitatis lumen elucet in pueris, atque illos ad studia uigilantes efficit. postquam uero ætate progressi, magis uim ipsius naturæ dispiciunt, quid est quod eos cælibatu uehementius ad uirtutis studia incitet? Huius autem uitæ cælibis multo alacrius adolescentes ad artium ingenuarum studia excitantur, iuuenes ad colendam militarem disciplinam paratiores fiunt, alii ciuilia munera diligentius obeunt ac administrant. Hæc enim sola homines beat, mentes ad superna omnia atq; diuina inflammat; hæc omnes in uirtute uersari facit, non ocio languescere, luxuria & mollitia diffluere, non auaritiæ sordibus inquinari permittit, non hostis aspectu terreri, sed se uariis periculis obiicere, & omnẽ ætatem in honestis actionibus traducere. ex quo efficitur, omne studium honestatis religione cælibatus contineri. Et ut singula uitia singulis uirtutibus opponuntur, ut libido temperantiæ, frugalitati luxuria, liberalitati auaritia, ita coniugium bonis omnibus aduersatur, omnemq; splendorem decoris & honestatis extinguit, tanquam contrarium quoddã oppositumq; prudentiæ. Nam uti prudentia est recta ratio, lumen quoddam menti præferens, quæ nullo errore præscribit

scribit quid fugiendum aut sequendum sit; ita nec hoc clarum beatumq; lumen ei possidere licet, qui mulierum commercio se dedit, earumq; effrænatæ libidini se subiecit. Nõne pulchrius est uoluptatem aspernari, naturæ blandimenta respuere, uitæ cursum in corporis labore, & in animi contentione conficere, quàm huiusmodi perditissimæ libidini se dedere? tanta sane est cælibatus dulcedo, tanta suauitas, ut, qui illa semel capiuntur, tametsi sapientes à uulgo non habeantur, nullis inuidiæ telis, nullis fortunæ tormentis debilitari, frangi ue possint. quas enim uigilias, quos labores non perferunt illi, quos cælibatus eximia quies ad disciplinarum studia inuitat atque allicit. quæramus à uobis ipsis, uiri Academici, qui summam eruditionem in omni literarũ genere consecuti estis, an potuissetis unquam ad gradum dignitatis tam sublimem peruenire, nisi uos à principio honestas ipsa quasi manu ad tantam præstantiam deduxisset? Non negabit Bartholomeus Riccius, uir omnibus literarum laudibus abundans, & insigni eloquentia præditus; non negabit Marcus Antonius Antimachus, qui utranque linguam, Græcam & Latinã, clarissimi ingenii monimentis illustrauit; non negabunt Giraldi, uiri omni doctrinæ genere atque philosophiæ laude cumulati; non negabunt denique Lolius, Pigna, & reliqui uestri ordinis principes, qui literarum studia cum maxima gloria colunt. Hoc fatebuntur sane omnes uiri eruditione præstantes, quos esset infinitum recensere, se se cælibatus iucunditate delinitos, uarios labores sustinuisse. Hic enim diuinarum rerum participes facit. hunc sanctissimi illi uiri colentes, Angelorum theatrum sibi proposuerunt; omnesq; Pontifices, quos sacræ literæ principes statuerunt, eisq; sedem ac potestatem supremam concesserunt, atque huius testimonio comprobari cupiunt, omnemq; dignitatis magnitudinem sitam esse conspiciunt. Quid igitur illa uita iucundius, quam mentes castæ, nulla libidinis contagione, aut memoria contaminatæ, in illa cælesti regione con-

consequentur? o uitam sanctissimam ac beatissimam illorũ, qui in hac libertate præstanti locati, non iugo muliebri comprimi, nec earum uitiis infici, nec deformitate maculari, nec querelarum tormentis se conuelli permittent. tales enim semper expertes erunt omnium malorum, quæ ferre solet humana fragilitas; immo æternis præsidiis & ornamentis egregie redundantes gloria immortali circunfluent. Hi enim soli demum erunt beatissimi iudicandi, hi omni bonorum copia cumulati, horum laus emori non potest, nec horum nomen ulla unquam obscurare poterit obliuio. Hos inquam omnes cælites intuentur, Deusq; hos sibi adoptauit & amplectitur. Quis igitur cælibem uitam, tot animo commoda prospiciens, non optabit? & à coniugio, mulierumq; impudenti turba & colluuione separari non affectabit? Quod primus homo sensit, qui dum non cælibatu sed uxoris suæ stimulo niti pulchrum existimauit, statim orbatus omni lumine cælesti fuit, Dei beneficiis ampliss imis spoliatus, ex altissimo gradu dignitatis deiectus, omnibusq; florentissimi illius status ruinis oppressus, atque immanissimorum hostium cupiditati prædæ relictus. Sed contineo me, partim quia uobis nolim nimis prolixa oratione molestus esse, partim quia satis esse dictum puto ad matrimonii incommoditatem arguendam. nimis enim diu uestra humanitate forsitan abutor, & immodica loquacitate uobis aliqua ex parte molestiam adferre possem. tempus enim me desereret, si cuncta incommoda & mala, quæ coniuges patiuntur, enumerare uellem, cum uix tot arenas habeant littora, non tot flumina guttas, quot miserias consortium uita. Quid? ego damno matrimonium? Minime, inquam. qua enim fronte peccator damnare auderem, quod Deus instituit? Quin immo intelligendum est, talem nos opinionem de uita cælibe laudanda & expetenda, de coniugio fugiendo & uituperando accipere, quales sunt ii mores, quibus imbuti sumus. id enim quisq ue laudabile iudicat, quod intuetur, quod amat, quod

quod ardenti desiderio appetit. Quæ igitur uarietas est in uitæ cælibis iudicio, uarietas est eadem in matrimonii opinione. Est enim lenæ & meretrici sua laus in circumuenienda iuuentute, & turpitudinis illecebris allicienda. Quid, per Deum immortalem, stultius, aut impudentius uanitate? quid odio maiori dignius, quàm doli, fraudes, insidiæ? Sed uidemus Vlyxem Homericum, auxilio Palladis, celando, & mentiendo, mentemq; ad omnem malitiam & fraudem uersando, diuinis laudibus ornatnm fuisse. Item Musas apud Hesiodum gloriari legimus, se, cum uelint, falsa confingere, & similitudine ueritatis, quos uelint, in fraudes inducere; ut ille, qui templum Dianæ Ephesiæ incendit, & boues Apollinis abegit, & Vulcani instrumenta surripuit. Fabulæ sunt, dicet fortasse aliquis, matrimonium autem laudabile est, utpote legibus institutum, Videmus etiam multa facinora tetre & impie concepta apud quam plurimas nationes honesta & laudabilia existimari, quòd essent legibus præscripta: ut apud Lydios statutum erat, non satis eam mulierem probam, atque antiqui moris feminam existimari, quæ non prius corporis peruulgati quæstu dotem sibi colligeret. Neque minus Assyriis mulieribus nubere licebat, antea quàm fuisset illis ab aliquo peregrino stuprum in luco Veneris oblatum. occurrunt sexcenta præterea: sed hæc narrasse satis est: ut ostendatur, quibus molestiis, atque acerbitatibus ob delicti nostri grauitatem summus ille censor maritalia bona respersit, eiusq; fructus quanto colligendos labore mortalibus proposuit. nam si ex una parte coniugii bona, si modo ulla sunt, (nam mihi qnidem id magnopere dubium est, & erit, opinor, omnibus rem ipsam accurate examinantibus) ex atlera uero ea, quæ insunt, incommoda constituantur: mehercule Oceani immensi cum admodum tenui, & uix fluente riuulo uidebitur esse comparatio. ita, patefacta ueritate, cælibatum omni studio expetendum, omni retinendum industria, omnibus efferendum laudibus, pro eius merito, ac

dignitate, ſtatuemus, coniugium uero & uitandum quammaxime, & uituperatione dignum acerbiſsima, odioq́; inſectandum, ut ille poeta dixit, cane peius, & angue. quam ego uobis ſententiam cupio eſſe, uiri Academici, pro mea in uos beneuolentia, atque obſeruantia ita firmam, ut nunquam immutetur. ſic enim & animorum ueſtrorum tranquillitati, & ueſtris ſtudiis, ueſtræq́; gloriæ rectiſsime conſuletur.

DE MATRIMONIO

AD ACADEMICOS FERRARIENSES.

QVOD mihi uel maxime optandum erat, uiri Academici, & quod unum ad ſuſceptam fortaſſe aduerſus me iracundiam maritorum ſedandam, maledicta mulierum delenda maxime ſpectabat, id non humano conſilio, ſed prope diuinitus datum, atque oblatum mihi à uobis uidetur; ut, quantum de matrimonii dignitate ex mea uituperatione, ueſtro iuſſu ſuſcepta, iampridem eſt detractum, nunc ex mea laudatione tantundem accedat ornamenti. ad quam rem, Patres, libentiſsime, ſummaq́; cum uoluptate acceſsi, non tam ut dignitatem uxoriam, ſi qua in parte læſa fuerit, reſtituam, atque earum diminutum erga nos amorem reconciliem, redeamq́; in gratiam cum omnibus uxoribus noſtris, quàm ut uobis ipſis in primis etiam ſatisfaciam. quamuis non adeo acrem mentis aciem, non eam ingenii uim natura mihi ſit elargita, ut in tanta rerum uarietate ueſtrum unicuique ſatisfacere poſsim: qui ne Hippiam quidem ipſum ſatis commode tam diſsimilia ſtudia, tamq́; contrarias actiones tractaturum exiſtimem; quem gloriari ſolitum aiunt, nihil eſſe ulla in arte rerum omnium, quod ipſe nequiret explicare. Pugnabo tamen, Patres, pro uirili parte, ut, quando hæc à uobis mihi commiſſa cauſa eſt, officio meo defuiſſe ne uidear; & illud ſimul homines intelligant, ueſtrum hunc ſapientiſsimum Ordinem in me habere imperii nihilo minus, quàm ueſtra grauiſsima auctoritas requirit. Quòd ſi fidem aliquam, auctoritatemq́; mea de cælibatu habita oratio apud uos obtinuit: pluris debet eſſe nũc & teſtimonium, & iudicium meum. tunc enim opinione, nunc autem, expertus, re ipſa moueor. uxore ducta, ex illuſtri Calcagniniorum familia, moribus & ingenio prædita, ad omnes res mirifice obſequente, ſuauiſsimã omnibus horis eius conſuetudinem ſentio. Liberis uero ſuſceptis, qui al-

ludant ante pedes, in gremio feſtiuiſsime blandiantur, dulciſsimo nomine patrem appellent, pellitur à me omnis triſtitia: riſus, & iocus, & læta omnia domeſticos intra parietes habitant: mihi nunc denique ipſe placeo, qui prope me omnia mea bona nunquam non uideam, & in iis me ipſum quaſi recreatum, ac renouatum agnoſcam. Ac fieri quidem poſſe uideo, ut alios alia magis delectent, quemadmodum fere ſolet in picturis: neminem tamen, (niſi ſi quis omnem prorſus humanitatem exuerit) quicquam ad humani generis ſocietatem conſeruandam magis eſſe matrimonio aut neceſſarium, aut amplum, affirmaturum exiſtimo. Quòd ſi illa liberi lectuli uita quorundam opinionibus plus fortaſſe arriſerit, eo quòd quendam (ſed heu nimis ficte) libertatis aſpectum præſeferat; cum falſa & plurimis ſeruitutis maculis ſit aſperſa: at matrimonii uis non incerta hominum opinione, ſed certo ipſius naturæ ſenſu iudicatur, atque diuino flatu infunditur. in ea enim non niſi adumbrata quædam felicitas, multis perſæpe moleſtiis inuoluta, cernitur, in hac uero ſolida & expreſſa beatitudo, quæ ſola eſt ſua natura, & immutabili æternitate laudabilis. nam ſi felicitas omnis, ut Plato cenſuit, rebus tantum honeſtis, atque perpetuis tribui ſolet, & uera æternitas in propagationis præcipue bonis conſiſtit: quis dubitet, omnem felicitatem eſſe ad dignitatẽ matrimonii referendam? quod ut dilucidius pateat, ſumamus hominem eo ingenio inſtructum, ut mentis aciem in mundi fabricam, admirabilemq; ornatum, atque totius naturæ conſtantiam intendat; conuertat ſeſe ad ſui ipſius ortus contemplationem; uideatq; tandem, quid ſit ſuo natalium ſplendori conſentaneum: intelliget profecto, uiri & mulieris coniunctionem priorum parentum ſatu editam, nõ modo ſequendam, ſed etiam ſumma religione colendam: cum ex eo non modo omne mortalium genus, ſed immortalium ſeruetur: non quòd ſemper plane unum & idem ſit, quale diuinum genus eſt: ſed quia id, quod abit, ſeneſcitq;, aliud nouum ſibi ſimile relinquit. ea de cauſa unumquodque

que animal fœtum, ſeu germen ſuum natura colit. hoc enim ſtudium, hic amor cunctis inſitus eſt, ut genus ſuum producat, æternumq; reddat: quoniam, ut Plato aiebat, cũ naturæ perpetuitatẽ curare oporteat, & nepotibus relinquendis Deo miniſtros pro ſe ipſo tradere, gignere debemus liberos. ex hoc enim non ſolum admirabile id æternitatis decus, quod diximus, oritur, atque ſingularis animorum maris & feminæ conformatio fidesq; eluceſcit, ſed uera ſanctitas exiſtit. quod enim ſanctius, quàm quod ipſa natura ſanxit? quod ipſe rerum pater inſtituit, confirmauit? Iam, ſi cetera ſacramenta, quibus Eccleſia Chriſti potiſsimum nititur, religioſa quadam ueneratione coluntur; quis non uidet huic plurimum religionis deberi, quod & à Deo, & primũ omnium eſt inſtitutum? Nam cetera quidem in terris, hoc in paradiſo: cetera ad remedium, hoc ad conſortium felicitatis: cetera naturæ collapſæ ſunt adhibita, unum illud conditæ naturæ datum eſt. Si leges à mortalibus inſtitutas ſanctas habemus, non erit coniugii lex ſanctiſsima, quam ab eodem, à quo & uitam, accepimus? Quid æquius magis, quàm id reddere poſteris, quod ipſi à maioribus accepimus, gratiq; animi officium illorum uotis, ac deſideriis præſtare, qui nos in hanc lucem ediderunt, cogitantes, cupientesq; genus ſuum ſucceſsione quamlongiſsima propagare, & filios filiorum relinquere? ſecus autem partem aliquam ipſorum deſiderii non exequemur, ſed uoluntatem eorum irritam reddemus. Quid magnificentius eſſe poteſt, quàm quod ipſe Chriſtus commendauit, qui nuptiis una cũ matre non ſolum intereſſe dignatus eſt, uerum etiam nuptiale conuiuium miraculorum ſuorum primitiis conſecrauit? Nec aliud ſane, quàm de matrimonio, Apoſtolorum principem ſignificaſſe dicemus, cum de dignitate Chriſtianorum diſſereret, dum inquit, Vos genus electum regale ſacerdotium. Hinc animo repetamus, quantum nomen, quanta ſit coniugalis felicitatis dignitas atque maieſtas; cum ille princeps Deus eam ab omni contagione ſceleris expiatam

ſibi

ſibi adoptarit, aptiſsimis gloriæ inſignibus ornarit, & beneficiis immortalibus atque diuinis affecerit, non ut Lycurgũ, aut Moſem, aut Solonẽ, ſed ſe ipſum ſolum auctorem agno ſcat, ea de cauſa Chriſtus optimus maximus eam ſibi coniunxit: matremq; ſanctiſsimam diuinorum etiam ornamentorum ſocietate deuinxit, non ut uiro mater contaminaretur, quæ ſemper eſſet uirginitatem retentura, ſed ne matrimonio careret, & ut matris exemplo ad illud ipſum nos hortaretur, nosq; illius ſacramenti participes efficeret. Si quidem ab initio, cum poſt uniuerſæ naturæ conſtitutionem hominis corpus è terra finxiſſet, miſeram prorſus, & iniucundam noſtram fore uitam proſpiciens, niſi ſociam adiungeret, Aeuam ex coſta hominis, figura corporis pulcherrima, eduxit; non ut haberet elegantiorem aliquam domum, in qua lautius, aut commodius habitaret; non ut cælibatum amplecteretur; ſed ut creſcerent, & multiplicarentur, neque terram modo, ſed cæleſtes quoque ſedes, lapſu Angelorum uacuas, implerent. Hinc iam uidere licet excellentem & magnificam humanæ ſocietatis originẽ; quæ non aliunde, quàm à Dei ſpiritu, manauit, & in elegantiſſimum corpus mulieris incluſa, matrimonii formam, labe nulla uiolabilem, retinuit. Is itaque primus homo coniugium amplexus, mulieris ſocietatem nouit, procreandorum liberorum cauſam non ab alio doctore, quàm à Principe Deo, accepit. uerumenimuero, cum corpus Aeuæ incredibili ſpecie excelleret, fructusq; illius nobiliſsimæ arboris, qua boni & mali ſcientia continebatur, ſerpentis calliditate inductus temere ſumpſiſſet; ſpreto ipſius Dei, omnium rectoris, præcepto, quamprimum è regio illo domicilio, quem paradiſum Græci uocant, loco irriguo, & amæno, omni florum uarietate diſtincto, & ſempiternis arboribus conſito, eiectus, ut uictum ſibi ſuo labore conquireret, tandem loco in rerum humanarum procreatione impetrato, non ne, excreſcentibus liberis, ac poſteris, ut eorum neceſsitati conſulerent, domos, tecta, quibus imbres ac tempe-

tempeſtates defenderentur, inuenire, & ædificare perdocuit? ſic enim diuino conſilio effectum eſt, ut, dum pro ſe quiſque ceteris auxilium fert, & uiciſsim aliorum artibus atque facultatibus ſe ipſum tuetur, ius illud humanæ ſocietatis permaneret, idq; iam inde ab eo tempore, quo genus humanum erat adhuc in montibus atque ſiluis diſsipatum, cum nullis eſſet ciuilibus inſtitutis, aut domeſticis moribus excultum. Verum enimuero non ſolum ab ipſius mundi initio ſacrum hoc matrimonium uniuerſum repleuit orbem, ſed etiam, quod dubitare neminem exiſtimo, poſt diluuium inſtaurauit. nam cum Deus orbem terrarum improbitate & ſceleribus refertum cerneret, ſtatuiſſetq; humanum genus diluuio perdere; ad multitudinem tandem reparandam, unum ex omni populo uirum iuſtiſsimum Noe cum coniuge, ac tribus filiis, totidemq; uxoribus delegit: qui, exicato orbe, cum ipſa multitudo in immenſum per ſacra matrimonia excreuiſſet, & eos anguſtia locorum continere nõ poſſet, rerumq; penuria cogeret, ad quærendas ſibi nouas ſedes huc atque illuc diſperſi, rurſus omnes inſulas, omniaq; terrarum ſola repleuerunt. Nam, cum ceteræ res omnes ita à natura inſtitutæ ſint, ut uel ad formanda ingenia, uel ad fortunas hominum conſeruandas, atque augendas, uel ad mercaturam, & opificia, uel ad doctrinam, ceteraq; huiuſmodi, uideantur comparatæ; ſola tamen res uxoria eſt illa, cuius gratia, & munere ea omnia mortales conſequuntur; ſola, quæ ab initio ciuitates omnes peperit, auxit, atque ſeruauit. nulla eſt enim reſp. quæ non gaudeat hoc uno progenitore ſuo, & quem enixè, ueluti primum eius parentem non colat, non diligat, non admiretur, & ſumma cum ueneratione complectatur. Sed quando de nominis tam ſancti, tamq; auguſti origine, & dignitate diximus; pauca quædam de illius quoque fructu atque utilitate dicenda ſunt: non, quo magnopere interſit ad matrimonii celebritatem, quamplurimas imagines enumerare, aut quàm multis ætatibus ab illa fuerit claritatis poſſeſsio retenta. Cum enim generis

generis principium ad Deum referat, inuidiam nouitatis nul la reformidat. nam ex omnibus humanis propagationibus ea est utilior, quæ ad societatem, amicitiam, & fœdus pro pius accedit. ea enim non nisi solo oritur coniugio, ut quæ sola sit ueluti seminarium quoddam ad ceteras propagationes, omnem communitatem contineat bonorum, fortunarum, ac liberorum, omnia in commune conferat. huius enim opera, atque ope iam olim ex agresti feraq; uita ad ciuilem cultum deducti, ad quandam societatem per affinitates, & sanguinis coniunctiones, beneuolentia & caritate conciliati sumus: cum natura tantam uim in duobus corporibus negauerit, ut esset inter nos omnium rerum sine ulla exceptione communitas, atque coniunctio. Hoc enim primus ille parens Adam nobis apertissime declarauit, dum spiritu afflatus diuino inquit: Hoc est autem os ex ossibus meis, & caro de carne mea. hæc uocabitur uirago, quoniam ex uiro sumpta est: propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una: scilicet quòd unius membri uice coniugium ex geminis coalescet. Hinc est, quòd coniuges pro duobus oculis quaternos, pro duabus manibus totidem alias, in omnibus negotiis habere dicuntur; quibus una iunctis facilius suum opus uterque peragit: proinde fessis alteris, reliqua suum officium præstant, ita ut felicius omnia, mutua ope freti, simul regant atque administrent. Nec tamen eadem sunt uiri & uxoris officia. uiri quidem munus est & filiorum erudiendorum, & rerum omnium, quæ extra domum aguntur, matris uero nutriendorum, & eorum quæ intra domum agi tari oportet, ornare domum, regere penetralia, hospites excipere, propinquos complecti, penates curare, ut mensa, lectus, ut omnia paratissima sint, fide uniuersa custodire tan quam nocturnus diurnus comes, socia thori, custos laris, magistra domus, & rei familiaris: ea denique, sine qua nil fere dicere possit esse suum. serui utplurimum expilant: suffurantur famuli: uicini nihil non carpere uolunt: omnia fraudi

fraudi sunt exposita: omnia squalent: domus tota sordida est, sine ordine, sine nitore: dissipantur omnia, si coniux defuerit. si filios habueris, pudebit aspicere illegitimos, & ignominiæ illorum misereberis. si uero non habeas, desertum te, & orbum, sine posteritatis spe, ingemisces. sola uxor non inuidet uiro, aut uxori uir: suam uoluntatem cum tua uoluntate coniungit: eadem illi tristitia, eadem iucunditas, quæ tibi: communis & simillima tum uita, tum fortuna est, cum tota ex te uno pendeat, in te uno quiescat, tãdiuq; nobiscum durat, quandiu in uita manet. Filii aliquando exeunt è parentum potestate uel emancipatione, uel religione, alterum sibi domicilium comparant, & sibi ipsis uiuunt, quærunt, commercantur: sola uxor ne pedem quidem flectit à uiro, semper in manu & potestate nostra est tota: quicquid illa lucri, quicquid mercaturæ facit, uiro facit: diuitiæ illi eædem, quæ & uiro, paupertas eadem, par dignitas, communis accessio. Et cum à liberis parentes discedere nulla lex uetet, siue morbus impellat, aut dissidiũ suadeat; uxorem tamen humanæ & diuinæ leges unius cubiculi semper atque conuictus consortem esse uoluerunt; ut, quæ è uiri costa in uiri auxilium facta esset, ea nunquam seiungeretur à uiro, nec sontico, nec elephantico morbo, nec ulla pestilentiæ ui maritũ derelinqueret; comes in tectis, in lecto, in prole suscipienda, in periculis, in laboribus, atque in omni fortuna, in omnibus uitæ actionibus. non abest insomnis, non in uigiliis abscedit, una caro, mens una, concordia instituta diuinis, humanis quoque legibus confirmata, recepta à barbaris, admissa per omnes orbis terrarum tractus. Accrescit interim dulcis affinium turba, unde duplicatur parentum, fratrum, sororum, nepotum numerus. natura enim unam duntaxat matrem, unum patrem tribue re potest: coniugio pater alter, altera mater accedit, qui te, ut cui sua uiscera commiscuerint, singulari pietate prosequuntur. Hinc ipsi parentes ob morbos, aut ob senium imbecilles facti, ab iis, quos procrearunt, pari caritate & ali-

mentum, & eam, quæ requiritur, curam merito conſequuntur: atque ciuitas omnis huiuſmodi neceſsitudinibus quaſi quibuſdam nexibus auctor, & coniunctior efficitur. Nam quod aliud huiuſmodi ornamentum ciuitas, aut domus habere poteſt, quale per mariti & uxoris conſortium efficitur? non ſane precioſa ædificia, & ſublimes muri, & fornices ornati lapidibus, quos plerique ob ignorantiam uirtutis admirantur; neque pictura, aut aliud quippiam ex illis, quæ uulgus ſtupet, ornamentum eſt domus, ſed uiri & mulieris coniugium, qui mutuo copulantur, & ſacri ſunt Diis nuptialibus nataliciis, Laribus: & inter ſe conſentiunt, nihilq; non cõmune habent uſque ad corpora, immo animas ipſas. Hinc, ſi res ſecundæ ſunt, duplicatur felicitas; ſin aduerſæ, coniuge ſocia tẽperantur. prope enim adeſt, quæ conſoletur, ac leniat, quæ inſeruiat, quæ tuũ malum ſuum, &, ſi leuari poſsis, totum ad ſe transferri cupiat. Si domi agis, habes quæ ſolitudinis tædium depellat: ſi foris, eſt quæ diſcedentem oſculo proſequatur, abſentem deſideret, redeuntem læta excipiat, dulcis iuuentæ ſodalis, gratum ſenectutis ſolatium. Iam, quanti æſtimabis, ubi pulcherrima coniux pulchra faciet te prole parentem, ubi quis tibi paruulus in aula luſerit Aeneas, qui tuos tuæq; coniugis uultus referat, qui te blanda balbutie patrem appellet. Habes qui ſenectutem tuam oblectent, qui morientem oſculo proſequantur, extremum ſpiritum excipiant, oculos claudant, iuſta perſoluant, in quibus denique renatus uidearis, quibus ſuperſtitibus tu ne occidiſſe quidem puteris. non abeunt ad alienos heredes quæ tibi paraſti. ita tanquam omnibus perfuncto ne mors ipſa quidem acerba uideri poterit: quin immo tantum in liberis ponitur, tantum iis tribuitur, ut antiquitus, qui filiis ſuperſtitibus decedebant, eos inter diuos referri mos fuerit. quem morem Herodianus in Seuerianis iuſtis latiſsime perſecutus eſt. Sed quid de utili aut iucundo diſputemus, cum non utilitas modo, uerum etiam neceſsitas ad coniugium impellat? tolle matrimonium; uniuerſum homi-

hominum genus idem tolles: propagationem, orbem terrarũ euertes. ſublato ẽnim coniugio, nihil eorum omnium, quæ extant in regionibus, prouinciis, regnis, urbibus, poſt centum annos ſupererit. tanta eſt inter eos, qui matrimonii legibus conformati ſunt, in perpetuitate colenda conſpiratio, tanta officiorum omnium ſocietas, tanta denique morum ſimilitudo, ut nullam neceſſariam magis, nullã ſuauiorem coniunctionem, quàm uiri & mulieris, reperias. nã quis ſodalis ſodali, frater fratri, filius parentibus tam fuerit amicus, & gratus, quã uxor eſt ſuo marito? ceteris enim amicis beneuolentia coniungimur, cum uxore & ſumma caritate, & corporum permutatione ſacramenti fœdere, & fortunarum omnium ſocietate non ad exiguum temporis ſpatium, ſed in omnem uitam, ad omnia uel ſecundæ, uel aduerſæ fortunæ euenta copulamur. Aliæ animorum inclinationes ſimiles ſunt mixtionibus leguminum, aut aliorum huiuſmodi, quæ inuicem apponuntur, uiri autem & uxoris amor mixtioni, quæ tota per totum fit, ut uini cum aqua. reuera enim undequaque commiſcetur coniugalis amor. Merito Romanorum legumlatores munera uiciſsim dare & capere coniuges uetuere, non quo alterum participem, alterum uero expertem cuiuſquam rei eſſe uellent, ſed eo potius conſilio, ut communia inter ſe eſſe omnia exiſtimarent. Aliæ quoque ratione maximus hic amor eſt, quoniam aliæ ſocietates aliorſum etiam quandoque declinant, uxores autem ſolum mariti animum recipiunt. non enim cum eis agere opus eſt, ut Græcos ſub Cyro militantes feciſſe accepimus, qui cum hoſtes uociferantes impetum facere animaduertiſſent, eos ſilentio excipiebant; contra uero, ſi illi ſilerent, celeriter magna uoce exclamando inuaderent. At mulieres prudentiæ pudoriſq; participes, cum irati mariti clamant, ſilentium agunt; cum ſilent, eos alloquuntur, & iratos mitigant. Ideo Plutarchus in coniugalibus præceptis oportere aiebat mulieres à luna diuerſas eſſe; quæ cum à ſole receſsit, lucida claraq; cernitur, eadem, cum ſoli ſucceſsit, euaneſcit. contra

enim deberet uxor modeſta præſente tantum uiro à ceteris cõſpici, eodem uiro abſente, domi agitare, ac ſeſe occulere. Apud Aegyptios autem tacta erat pudoris cura, ut mulieribus interdictus eſſet calceorum uſus, quo proditæ palam uerecundarentur, ac ueluti teſtudines intra ſua tecta ſe cohiberent. qua de re Philonis uxor interrogata, quamobrem ſola ex aliis in conuentu non geſtaret ornatum aureum, quoniã, inquit, pro ornamento mariti uirtus mihi ſufficit. Præterea in ceteris amicitiis quanta ſimulatio, quanta perfidia? ſæpe ii, quos amantiſsimos exiſtimamus, mutata fortuna deficiunt: ſicut hirundines exacta æſtate deuolant. nonnunquam recentior amicus ueterem eiicit; diues pauperem, nobilis ignobilem. paucos audiuimus, quorum fides ad exitum uitæ conſtiterit. uxoria caritas non perfidia uiolatur, nulla ſimulatione obſcuratur, denique ſola morte, immo ne morte quidem diſtrahitur. illa parentum, illa fratrum pietatem præ uno te contemnit, te unum reſpicit, ex te pendet, tecum emori, immo pro te mori cupit. quod ex Alceſtis facto cognoſcitur: quæ, cum, Admeto, uiro ſuo, ægrotante, reſponſum fuiſſet ab oraculo, breui illum moriturum, niſi quis amicorum pro eo mortem ſubiret; cum omnes recuſaſſent, ſola morti ſe obtulit promptiſsimam. cuius exemplo legitur, id eſſe apud Erulos, populos ad Iſtrum flumen habitantes, inſtitutum mortuo uiro, illico laqueo uxorem ſeipſam ſuſpendere. quod ſi aliqua forte recuſaret, ea uti infamis aliorum commertio ſecludebatur. Apud Catheos & Indos uxores cum uiris defunctis comburebantur. & apud Aphros ad Oceanum, & apud Thraces, qui ſupra Chriſtonæos ſunt, uxor carior (plures enim ducunt) cum uiro occiſa ſepelitur. Poſſem multarum exempla adducere, ut de Tyro Theſſala, Euadne, Panthea, Aria, Hypermeſtra, Laodomia, Portia, Hipſicrathea, aliisq; plurimis, quæ & in omni uitæ diſcrimine ſe pro maritis oppoſuere, atque pro eorum ſalute uitam cum morte commutare non timuerunt. Nec uelim tamen Patres exiſtimetis non ineſſe eundem maritorum

rum amorem in uxores: quoniam Orpheus (ut fabulantur poetæ) deſcendit ad inferos non alia de cauſa, quàm ut Eurydicem, multis ante lacrymis defletam, repeteret. & Pericles nunquam egreſſus domo, quin Aſpaſiam uxorem diſſuauiaretur. Sed ut ad altiora ueniamus, nonne Periandrũ Corinthium adeo uxorem dilexiſſe legitur, ut etiam mortuæ ſe commiſcuerit? M. Plautius in Aſia cum ſexaginta nauibus proficiſcens, cum Tarentum ueniſſet, Oreſtillam uxorem, quam ſecum duxerat, ibidem morbo abſumptam amiſit, cuius dum celebrarentur exequiæ, impatiens mæroris Plautius pugione ſe confodit. Rex etiam Perſarum Darius, exiſtimans uxorem ſuam ab Alexandro interfectam, ſummo eiulatu caſtra impleuit, ac multo grauius, quàm ſe, uictum eſſe tulit. Hoc enim in rebus omnibus incredibiliter natura fabricata eſt, ut licet omnes rerum formæ ſint inter ſe diſpares atque diſsimiles, tamen in his inſit eadem uis & potentia, ut alia aliis magno beneuolentiæ nexu coniungant. Sidera nanque cernimus non tantum ordine atque ſpecie, uerumetiam uirtute & potentia coniungi: deinde uidemus cælo ſubiecta corpora concitari, atque etiam igni, omnium elementorum facile principe, tellurem, omnium parentem, ſubiectam uario rerum genere compleri, uelut infuſo ſemine mariti fungatur officio. Quid autem (ut ad hæc inferiora deſcendamus) de plantis, aut animantium genere dicam? an in omnibus eadem eſt facultas atque naturæ bonitas? & hoc etiam quouis arborum, ac plantarum genere licet inſpicere, quæ eandem in ſpecie coniunctionem habent, & eundẽ coniunctionis fructum. Nam cum palmarum alia mas, alia femina ſit, inuicemq; maritali quadam copula coniungantur; mares attrahunt ad ſeſe feminas, neque illæ congreſſum, quantumcunque adniti poſſunt, aufugiunt, ſed, ultro ramis uiciſsim contra ad oſculum quodam modo exporrectis, manifeſta dant mutui deſiderii ſigna. Eſt idem amor in piſtaciis, quorum ſemina cum panguntur, mas & femina committi debet coniunctis naturis. Idem & in gemmis dignoſcitur,

gnoſcitur, cum aliæ aliis uidentur indigere. Denique nullum genus animantium eſt, in quo non extare atque eminere quãdam coniugii ſpeciem perſpiciamus. nam uolucres ipſæ pene omnes matrimonio iunguntur, & nidos ſuos tanquam geniales thoros concordi mente defendunt, & fœtus ſuos, qui certi ſunt, ita diligunt, non modo ut eos diligenter alant, uerum etiam, ſi quis uelit eos auferre, unguibus ac roſtro tueantur acerrime. Quin etiam leones eodem coniugii uinculo muniuntur: lupi lactantes catulos obiiciunt: pro catulis dimicant tigrides: aſinos per obſtantes ignes agit prolis tuendæ cupiditas. Hæc autẽ naturalis excellentia in rebus ſempiternis ſemper manet: in iis autem, quæ oriuntur & occidunt, uirtute quadam ſeminis in ſobolem ipſam infundi-tur. Ergo, cum hæc tanta uis coniugii ſit, tantumq; iuris habeat, ut uel res mutas, beluas, rationis expertes, reliqua denique omnia complectantur, quid tandem conuenit eam in homine, animantium reliquorum principe, fingendo minus opum habere arbitrari? ſunt igitur natura in matrimonio innata ſemina coniunctionis, & procreationis: ſunt incredibilia honeſtatis, & ſanctitatis ſtudia. tanta tamen extat humanæ mentis imbecillitas, tanta nobis à peccato oritur inſcitia, ut non pauci in illam animi fictam libertatem incidant: quæ tamen non uera libertas, ſed fallax libertatis imitatio, non felicitas, ſed uana felicitatis ſpecies, non ueri decoris ſtudium, ſed effrænata quædam ac plane ſtulta inanis gloriæ cupiditas adumbrat eorum mentes, qui quidem non tam honeſti pulchritudine allecti, quàm oſtentationis cauſa, & ut admirationem apud homines quandam excitent, uitam cælibem ſuſceperint. unde ſæpiſsime euenit, ut, ubi primum inconſtans illa atque temeraria uoluptas, quæ ſua immanitate iudicium rationis impediebat, effluxerit, mærentes, & animo anxii ſuſceptæ turpitudinis conſcientia damnentur. ut autem fingunt poetæ Ixionem, Iunonis amore incenſum, cum nube Iunonis ſpeciem referente concubuiſſe, atque ex ea nube centauros procreaſſe: ſic & naturæ ſtimulis

Iis ad honeſtatis ſtudiũ incitati, inanem illius imaginem complexi, ſobolem etiam inanem & mixtam, atque monſtri ſimilem genuere. non eſt enim magis monſtrum animal ex hominis & equi figura conglutinatum, quàm habitus mentis, honeſtatis ſpecie, turpitudini inſigni compoſitus. Quid eſt enim à ratione, atque ab humanitate alienius, quàm ab æternis humanæ conditionis legibus abhorrere? quid ingratius, quàm id negare minoribus, quod niſi à maioribus nos accepiſſemus, nec eſſet quidem ullus, qui negare id poſſet? etenim quis tam agreſtibus inſtitutis uitam ducit, qui non humani generis præſtantiam, decus, atque ornamentum cum ingenti admiratione ſuſcipiat? quis unquam tam abiecto animo fuerit, qui coniugii nobilitatem utilitatemq; minime prædicandam exiſtimet? quis tanta immanitate efferatus eſt, ut ſui ſimiles non amandos iudicet? Quid rurſus eo eſt homine odioſius, qui, tanquam ſibi natus, ſoli ſibi uiuat, ſibi quærat, ſibi parcat, ſibi ſumptum faciat, neminem amet, ametur à nemine? An non huiuſmodi portentum dignum cenſebitur, quod cum Timone illo ex uniuerſo hominum contubernio in mare proiiciatur? quid enim eſt amentius, quàm uitam inanem, & ab omnium opinione diuerſam traducere? quid difficilius, quàm tam contrariis, & inter ſe repugnantibus ſtudiis, & cupiditatibus obtemperare? quid denique magis miſerum, quàm meretricum lenociniis dies atque noctes exanimari? quid auerſum magis à prudentia, uel potius quid aduerſum magis, cum ſit prudentia recta ratio, lumen quoddam animo præferens, quid fugiendum, aut expetendum ſit, ſine ullo errore præſcribens? hoc tamen lumine is orbatus eſt, qui cælibatum ſequitur, & omni officio ſeſe ad eius libidinem accommodat. Eſt enim primum perpetuitas abiicienda; ſine qua uera dignitas, quæ ſita eſt in uirtute, ne intelligi quidem poteſt. ſiquidem ille demum beatus eſt exiſtimandus, cuius mens hoc diuino coniugii pabulo, quaſi quodam nectare & ambroſia, alitur perpetuo, atque ſuſtentatur. Quid enim aliud

eſt

eſt, deorum intereſſe conuiuiis, quàm quaſi diuinis opibus coniugii, quæ quidem ſunt epulæ felicitatis, & perpetuitatis, abundare? Nunc igitur quando uos, quæ ueſtra eſt benignitas, ad audiendum erectos eſſe uideo, perſequar libentiſsime quod reſtat. atque utinam diuinus ſpiritus mentem noſtram afflaret, ut illius cæleſti ui & impetu concitati, poſſemus ueræ gloriæ ſplendorem oratione conſequi. nec enim fieri poteſt, ut hac noſtra ingenii tenuitate, rem tantam pro dignitate explicemus. quod cum ita ſit, aggrediar tamen, atque illud primo loco ſtatuam, nihil in rerum natura natũ eſſe, quod humanæ incolumitati magis inſeruiat, nihil quod ſummo parenti noſtro ſimiles magis nos reddat, quàm matrimonium; cum ipſa connubii ſocietas ab ipſo Ioue in primis inſtituta ſit. unde ueteres dicere conſueuerunt, Et tu particeps connubii, ſocia regni, Regina Iuno, quam deinceps pronubam appellarunt. ad hæc ſolem & lunam, Cupidinem & Venerem dixerunt. quid igitur magis homini conuenire exiſtimabimus, quàm deorum ſequi ueſtigia? quapropter Aegyptii, cum à nullo dæmonũ infeſtari poſſe perſuaſum haberent, duo capita humana in exemplum matrimonii, quorum alterum maris, quod intro aſpiceret, alterum feminæ, quod extra, effingebant. Nam figura hæc ſatis ſuperq́; ad tutelam, deorumq́; ſimilitudinem ſufficere credebant. iure igitur nulli ludi, nulla ſpectacula, feſti dies nulli, nihil denique in uita noſtra tantis cæremoniis, tantaq́; pompa, quanta nuptiæ ipſæ celebrantur. ornantur in primis amicorum congreſſu, concurſu propinquorum: apparantur omnia tecta: parietes ipſi, ac trabes gratulari, & geſtire præ lætitia uidentur, nouamq́; dominam laris conſalutare, ac nouam familiam poſcere. itaque epithalamiis, cantu, tripudiis, omni lætitiarum genere, ac tripudiis complentur. quamobrem tantæ lætitiæ, ac triumphi cauſa, tanquam aucupandæ felicitatis affectatione quadam, ipſi, inquam, ueteres inſtituere, ut noua nupta non niſi uincta caput uerbena, myrthoq́; traduceretur. ſiquidem mos erat nuptiarum

ſacro

ſacro faciendo, ut noua nupta corollam de uerbenæ floribus, à ſemet ipſa lectis, ſub amiculo geſtaret; & inſige fuiſſe, quod præcipue ſacerdotes in capite ornando geſtarent, ſiue ea corona, ſiue aliud geſtaminis genus eſſet. id quod Heſiodus ſcuto Herculis ita deſcribit: ligneumq́; ſponſæ ſimulacrum, Citheronis conſilio fabrefactum, & in curru conſtitutum ab ipſo etiam Ioue reperias; quo Iunonem, quæ diuortium fecerat, illuderet: eamq́; in pelle lanata conſidere ueteres iubebant. uetuſtus ſane mos, quòd id ueſtimentum olim uſui fuerit: ſed illud magis ueriſimile, quòd hoc ſe eſſe adductas ad præſtandam marito lanificii operam agnoſcant. nã ad hæc uſque tempora in plerisque Italiæ locis, poſtridie quàm noua nupta mariti domum ingreſſa eſt, illi è geniali thalamo mane prodeunti obuiam propinqui fiunt, colum, fuſum, & lanam, acum, & forfices, rutabulum, peniculum, quodq́; unicuique in promptu fuerit inſtrumentũ, & quidquid uaſorum in ædibus uſui eſt, offerentes, quo ea, muliebris haud ignara officii, ſe non ad delicias, & uoluptates, ſed ad facieudam lanam, & alia, quæ frugi ſunt, curanda ueniſſe reminiſcatur. Hæc itaque, non niſi triumphi & boni ominis cauſa, dabantur, quòd Caiæ Cæciliæ, quæ, alio nomine Tanaquil, Tarquinii Priſci uxor fuit, lana cum colo & fuſo in templo M. Anci diutiſsime adſeruata perdurarit. cuius rei mentionem haud obſcure facit Varro, Et quoniam res Tanaquili feliciter ceſsit; inſtitutum, ut nubentes uirgines colus compta, & fuſus cum ſtamine comitaretur. Erat & nuptiarum maieſtatis, & æternitatis, quam Græci ἀντέρωτα dixerunt, index fax illa, quam prætextatus puer apud Romanos patrimus matrimusq́; præferebat, duobus aliis eiuſdem ordinis & conditionis nuptam deducentibus. Noctu autem prima aut ſecũda hora ducere mos erat ominis cauſa, quòd ita optima ac ſecundiſsima euentura ſibi promittebãt. quod nonnulli autumant in honorem Cereris inſtitutum. In hoc autem ſacro ea ſuperſtitio acceſſerat, ut fax ea ab utriſque amicis raperetur perfuncto munere, quòd ea inceſſerat re-

ligio, né aut uxor eam ſub lecto uiri ea nocte poneret, aut uir in ſepulcrum comburendam curaret. ſiquidem utraque mors propinqua alterutrius captari putabatur. Addemus, inſtitutum fuiſſe apud Romanos, ut uirgo, cum uiro tradebatur, de matris gremio, aut aliqua, quæ proxima eam neceſsitudine attingeret, rapi ſimularetur, eo ſcilicet omine, quòd ea res feliciter Romulo ceſsiſſet, Romanamq; rem fœcunditate prolis amplificaſſet. Sed neque hoc omittendum exiſtimo, quòd apud Græcos ad id miniſteriũ ancillæ adhibebantur, uti cernere eſt in Herculis ſcuto apud Heſiodum. quanquam moris etiam apud Græcos eoſdem fuit, ut mater eas nuptiales faces, atque ignem & aquam prætenderet, ut apud Euripidem. nam & huiuſmodi donaria nouæ nuptæ apponebantur, quæ ſcilicet eam perpetuæ caſtitatis, puraeq; in omni uita mentis admonerent. Qui uero inſtituti huiuſmodi rationem altius rimantur, naturæ uicem hinc intelligi interpretantur. ignem ſiquidem aiunt actionis uim obtinere, & agendi elementum eſſe, aquam uero patiendi. Hinc philoſophi non defuere, qui rerum formas ex aqua per admixtionem ignis produci exiſtimarunt, atque ita ignis & aquæ ſacramento nuptiarum fœdera, omine optimo, ſanciri. Apponebantur uero hæc in limine domus, quà ſponſus & ſponſa intraturi eſſent, ut ea oblata ſpecies memores eos redderet, quorſum eſſent huiuſmodi ſacris initiati. Igitur per ignem & aquam neceſsitatem interpretabimur, quæ ducere uxores iubet, non tantum ob ſobolem, quæ præcipua eſt, uerum etiam, ut ſit, quæ domus & familiæ totius curam ſuſcipiat, & quodam ueluti gubernaculo, directo ad emolumentum, honeſtumq; curſu, regat. longe honeſtius igitur Metellus, qui de uxore ducenda interrogatus, uxorem eſſe malum haud ſane inficiatus eſt, ſed malum tamen id eſſe neceſſarium. Quis ignorat, ſine coniugali ſocietate breui periturum eſſe humanum genus omne, ceteraq; animalia plane defectura? Exulibus quidem, capitali ſcelere damnatis, ut eis quaſi uita negaretur, aqua & igni

nec in conuiuium uenire liceret. interdicebaturq; ſecundis nuptiis, & theſauro illo precioſiſsimo Euchariſtiæ, tanquã indignus Dei uiatico, cum opificiũ Dei ſuſtulerit, omni deſtituendus auxilio, triſtitiaq; opprimendus. Eſt itaque coniugium non modo conueniens, & illuſtre, ſed & ſanctiſsimũ, pietateq; pleniſsimum. Contra uero, matrimonium negligere, non modo eſt animi turpis, & abiecti, uerum etiam ab omnibus naturæ legibus, atque diuinis inſtitutis nefarie diſſidentis. Quid enim aliud eſt, cælibem uitam ducere, quàm humanam uitam perpetuo alimento, & quaſi ſolem luce ſua orbare? aut quid minus decet hominem propagationi deditum, quàm humanam ſocietatem aſpernari? hominum ſalutem negligere? de humani generis propagatione minime ſolicitum eſſe? Apud Moſem quoque Deus ipſe prædicit impiis, fore, niſi reſipiſcant, ut eorum nomen obliuione conteratur. Hieremias autem ita ſub Dei perſona in Iudæos inuehitur: euellam(inquit)uos, & ciuitatem iſtam excindam. Quocirca non immerito uiri ſanctiſsimi hoc ſterilitatis nomine omnes morum immanitates complectuntur: quale eſt illud Iſaiæ, Inſtar Sodomæ præſetulerunt, nec occultauerũt. Item illud Hieremiæ, frontem perfricuiſti, meretricis impudentiam ſuſcepiſti. Iccirco non dubitarunt filiæ Loth cum patre temulento rem habere, ſatius ducentes conſulere generi humano nefario inceſtu, quàm interitum pati. Iccirco Plutarchus libello de coniugalibus præceptis, uir & mulier, ait, qui copulam maritalem ſuffugitant, ſimiles ſunt iis, qui apicularum aculeis patienter ſe offerunt, mella ipſa reformidant. Ad eandẽ reſpiciens propagationem Virgilianus Damœtas cum Pollionis amicis optat mella fluere, nihil aliud ſibi uult, quã ut copioſiſsima rerum omnium ubertate diteſcant. Eamus nunc, & cælibatum admiremur, laudemus, ueneremur, qui æternum ſit generi humano cladem allaturus, quæ peſtis aut lues à ſuperis aut inferis immitti poſsit nocentior? quid ab illo diluuio timeri poſsit acerbius? quid triſtius expectari, etiam ſi Phætonteum redeat incendium? Nec eſt

eſt dicendum, poſſe quenquam liberos abſque uxorio uinculo parere: quando, uti pictor, aliquid imitando, à natura diſcedit, muſicus uocem abſonam, & parum numeroſam, ratione diſcrepantem emittit, omnes quantumuis harum artium rudes offendit; quid de humano genere dicendum? Quòd ſi lex aliqua damnat ſterile matrimonium, cælibes multo magis damnabit; eo quòd nec cælibes eſſent, nec uirgines, ſi coniugii uim ſuſtulerint. Si natura pœnam non effugit, ne uoluntas quidem effugiet. ſi damnantur, quorum uoluntati natura defuit; quid commerentur ii, qui ne operam quidem dederunt, ut ſteriles non eſſent? Quam aliam ob cauſam opifex hominis primum quidem bipartito diuiſit genus, mare ac femina conſtitutis, deinde cupiditatem ue hementem utrique iniecit conſuetudinis & coniunctionis alteri cum altero, & ingens deſiderium utrique mutuum concitauit, ut mas feminam appeteret, femina marem? Nonne igitur apparet, uoluiſſe eum, utrique ſexui conſuetudinem eſſe, & communi opere uitam inſtitui, ac mutuo iuuari, gigni ab iis & educari liberos, ut genus noſtrum perpetuum eſſet, atq; in ſtudio ſanctitatis diligenter exerceri, ut & leges diuinas, ad ſpem futuræ ſalutis erecti, iuſtitiam, & pietatem, quantum poſſunt, excolerent? In cælibatu autem non fuit perfecta & abſoluta ratio pietatis, nec felicitatis, ſed inchoata quædam, eaq; rudis felicitatis ſpecies. At coniugium reprimit quidem impios atque nefarios hominum conatus, it obuiam furori, & ſceleri, ſeuere, atque uehementer impia facinora uindicat, atque ad illum perfectum perpetuitatis & felicitatis gradum perducit, omnibus commoditatibus uitæ propoſitis, non ad uitam inanem tantum, ſed ad poſteros quoque dirigit. cuius quidem finis nō aliud eſt, quàm uitæ commodis abundare. hic nihil uideo ſane, quod non potius fluxum, demiſſum, & turpiter abiectum. Siue enim eorum inconſtantiam ſpectemus, ſiue honoris, & humanæ uirginitatis leuitatem, ſiue quendam fucatum libertatis ſplendorem, uel poſtremo felicitatis humanæ ſpeciem illam